AUTHOR:

STAAF, ERIK SCHONE

TITLE:

DE ORIGINE GENTIUM PARTICULARUM ...

PLACE:

UPSALA

DATE:

1896

Master Negative #
91-80262-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

876
Stl

Staaff, Erik, 1867-1936.
De origine gentium patriciarum; commentatio academica, scripsit...Erik Staaff... Upsaliae, typis Almqvist, 1896.
98 p. 22½ cm.

Thesis, Upsala, 1896.

391216

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-19-91 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE ORIGINE GENTIUM PATRICIARUM

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM
UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

ERIK STAAFF
PHIL. LIC.

IN AUDITORIO IV D. XXVIII MENS. OCT. MDCCCXCVI

H. A. M. S.

UPSALIAE
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCVI
1896

B. Niebuhr, cum nostri saeculi initio suspiciosa diligentia examinare coepisset, quod de populi romani rebus antiqui scriptores narrauerunt, multa uidit illorum auctoritate falso circumferri, siue commentis eorum a recentioribus nimia fides habita esset, quid rerum connexus uerique similitudo posceret, non satis considerantibus, siue interdum, quid uerbis eorum inesset, non satis esset perspectum. Atque cum alia tum etiam ea reicienda censuit, quae ad id tempus de patriciarum gentium plebisque ortu tradita erant. Nam cum esset declarandum, quomodo euenisset, ut populus romanus in duas partes esset discriptus, patricios et plebeios, quorum certaminibus referta essent longa historiae romanae spatia, non iam Niebuhr, ut ante eum res intellecta erat, patricios, unam ciuitatis partem, nobilitatis aliquo genere supra plebem, alteram ciuitatis partem, euectos existimabat, sed negabat, plebem initio omnino ciuitatis participem fuisse. Quae uiri doctissimi sententia assensu tantum non unanimo accepta est. Nam licet de quibusdam rebus, quae ad nostram quaestionem pertinent, discrepent ii, qui post illum remotissimis populi romani temporibus illustrandis operam dederunt, ut e. g. hic clientes atque plebeios initio eosdem fuisse contendat, ille neget, tamen de summa rei tam consentiunt, ut inter eos antiquitatum doctores, quorum scripta etiamnunc leguntur, perpauci sint, qui non inde patricios potentiam suam atque dignitatem duxisse praedicent, quod primo ii soli Romae essent ciues.

Sed quamquam plerisque Niebuhrii iudicium comprobatum est, non plane defuerunt, qui patriciae gentes unde

ortae essent, aliter explicare conarentur. Ita uirum doctissimum, I. Rubinonem, qui et ipse multum contulit ad ius et antiquitates populi romani melius cognoscenda, quamuis multum patriciis tribuat, tamen, cum eos populi romani ipsum principium fuisse contendit, non propriis uerbis usum esse apparet: "Sie sind als die Bildner des Römischen Staates und Volkes anzusehen, ja sogar, wenn der kühne Ausdruck gestattet ist und richtig verstanden wird, als das ursprüngliche Römische Volk selbst, nicht weil sie als Altbürger allein in den Comitien stimmten, worauf in den ältesten Zeiten wenig ankam, sondern weil sie die Intelligenz der Nation vertraten und dadurch dem Geiste und dem Leben desselben die später nur weiter verfolgte Richtung mittheilten" [1]. Docet Rubino apud Italiae populos iam antiquissimis temporibus quasdam gentes siue familias diuersis e causis maius nomen et maiorem potentiam adeptas esse quam ceteras. Qui illam uetustissimam nobilitatem confecerint, *principes* uocat. Deinde cum Romae regius senatus institueretur, e principum numero senatores siue patres lectos facit. Ita nouam nobilitatem, patriciam nobilitatem ortam esse ex iis, qui ipsi inter patres essent aut quorum maiores in iis fuissent [2]. Uidemus igitur Rubinonis sententia nullo tempore eos solos ciuitatis romanae participes fuisse, quorum postea progenies dignitate patricia a ceteris ciuibus distinguebatur.

Quamuis magna inter uiros doctos fuerit laus Rubinonis, tamen illam eius opinionem non ita multum placuisse constat. Et praecipue uiri illustrissimi, Th. Mommseni doc-

[1] I. Rubino: Untersuchungen über römische Verfassung und Geschichte. Cassel 1839 p. 228.

Inter eos uiros, philologiae et historiarum studiosos, qui eam uiam prorsus deserendam censerent, quam Niebuhr ingressus erat ad historiam populi romani instaurandam, et ad antiquorum rerum scriptorum fidem redeundum, non plus unus clarius nomen obtinuit, O. Broecker. Doleo, quod libri doctissimi uiri potestatem mihi parare non potui, qui inscribitur: Untersuchungen über die Glaubwürdigkeit der altrömischen Verfassungsgeschichte. Hamburg 1858.

[2] Rubino l. l. pp. 183 sqq.

trina et acumine adeo firmata est Niebuhrii sententia, qua patricios ipsum populi romani fontem atque originem fuisse professus est, ut — credo — plerique ne id quidem concederent, de hac re amplius dubitari posse. Sed cum ante aliquot annos W. Soltau de comitiis populi romani scriberet [1], qua occasione etiam hanc nostram quaestionem sibi tractandam existimauit, quae antiquissimis temporibus inter patricios et plebem ratio intercessisset, nihil se inuenisse declarauit, cur necessario putandum esset, patricios ueteres ciues fuisse, ad quos postea noui ciues et deteriore iure praediti accessissent. Eam quaestionem iam prima operis sui parte tangit, ubi de comitiis curiatis agit. Quaeritur enim, haecne patricii umquam comitia ut sua et propria possederint, clientibus et plebeiis hominibus exclusis. Atque monet Soltau, nullum antiquum scriptorem homines plebeii generis ab iis comitiis umquam prohibitos facere posteaque in ea admissos; contra Dionysii, Liuii, Ciceronis sententia plebem iam ab incunabulis ciuitatis his comitiis interfuisse; nec nos nisi grauissimis rationibus adductos eam opinionem deserere debere, quam tutetur antiquorum testium consensus. Quas rationes cum circumspicit, nusquam uidet. Non possum omnia hic persequi, quae ad eam rem illustrandam affert Soltau, sed credo plerosque ei concessuros, uix tam consentiente motu uiros doctissimos se ad illam sententiam collaturos fuisse nec tam acriter negaturos, plebem illorum comitiorum participem fuisse, nisi duobus argumentis essent commoti, quibus antea multum auctoritatis tribuebatur. Multi enim et doctissimi uiri putarunt, eos *patres*, quorum auctoritate leges ratae erant, quorumque e numero interreges prodebantur, eundem coetum fuisse, qui alias comitia curiata appellatur. Tum etiam quaeri solebat, quae causa Ser. Tullium ad comitia centuriata instituenda fuerit ductura, nisi curiatis exclusi essent plebeii homines. Quae dubitatio nunc opinor non multum ualet. Nam comitia curiata quid iuris exercuerint, nescimus. Tum si iis comitiis patricii et plebeii

[1] W. Soltau: Ueber Entstehung und Zusammensetzung der altrömischen Volksversammlungen. Berlin 1880.

nullo dignitatis et fortunae discrimine facto leges iusserint et magistratus crearint — quod num fecerint, certe non constat — sed si ita fuerit, centuriatis comitiis institutis multorum ciuium ius minutum esse confitendum est; hoc uero fieri non potuisse quis affirmet? Numquamne factum est, ut a pluribus ad pauciores cederet summa potestas? Neque uiri docti de hac re tam promptum habuissent iudicium, nisi Ser. Tullium plebem et patricios comitiis consociasse uoluissent illamque ut ita dicam ciuitate donauisse. Quam sententiam certe non ex antiquorum scriptorum libris hauserunt. Immo — ut de persona Seruii taceam — quae de legibus eius traduntur, tam incerta sunt, ut nisi percaute ad historiam populi romani exaedificandam non adhibenda sint. Nam si uerum est, quod narratur, Seruium Tullium populum in classes et centurias discripsisse, comitia centuriata ab eodem esse instituta, quam minime est uerisimile. Uix enim potest dubitari, quin classes et centuriae primum institutae sint, ut belli opibus certus ordo esset, nec umquam eodem tempore et ad belli et ad pacis usus adhibitae sint [1]. In hac igitur re, quae antiqui scriptores narrant, secum ipsa pugnant. Quod si per ea, quae de comitiorum centuriatorum origine circumferuntur, nequaquam credere uetamur, curiatis comitiis plebem interfuisse, non magis ad eiusmodi sententiam per ea cogimur, quae de *patribus* illis, quorum supra mentionem feci, excogitarunt uiri docti. Nam hodie fere omnes consentiunt, illos regiae aetatis senatores fuisse posteaque senatus patriciam partem; si qui de hac re aliter iudicent, at eorum sententia prorsus deserta iaceat, qui docuerunt, *patrum* coetus et comitia curiata eandem rem fuisse.

Non potest negari haec ad eam rem diiudicandam, quam mihi tractandam proposui, satis magni momenti esse. Nam si demonstrari posset, patricios aliquando solos ad comitia curiata conuenisse, quamuis non certum, attamen satis uerisimile esset, plebeios homines olim non inter ciues numeratos esse. Nec eo minus hoc loco illam rem — i. e.

[1] Uide Soltau l. l. p. 231. Hoc iam antea Schwegler docuerat: Röm. Gesch. I 754 et Mommsen: Röm. Gesch.[6] 93.

curiatorum comitiorum rationem — non nisi breuiter attingere potui atque satis habeo, qui hoc legunt, eos ad librum Soltauii delegare, ubi hanc quaestionem copiose tractatam inuenient.

Conatus est igitur Soltau primis libri sui partibus demonstrare, nihil de curiatis comitiis ad nostram aetatem peruenisse, cur suspicandum esset, ullo ea tempore plebi fuisse interclusa, atque mea quidem sententia munere suo quam optime perfunctus est. Uerum unam rem, quae huc pertinet, ad alium locum distulit. Apparet omnia, quae contra illa patricia comitia disseruntur, nihili esse, si ostendi possit, patriciorum appellatione antiquos et genuinos ciues significatos esse; quare Soltau ultima libri sui parte separatim de patrum et plebis ante secessionem condicione disputandum censet. Et ita rem aggreditur, ut primum perquirat, quo clientes iure usi sint; quos non putat priuatim iure usos esse tam angustis finibus circumscripto, quam uulgo creditur. Contendit, eos inde a Seruii temporibus lege agere, fundos in agro romano possidere, testandi, mancipandi, alia iura exercere potuisse [1]. Quod uero ad publicum clientium ius attinet, saltem ex eodem tempore eadem eos condicione uixisse existimat atque eam plebis partem, quae in nullius patroni fide erat. Atque duobus praesertim argumentis hoc ita fuisse demonstrari uult [2]. Primum non potest cogitari, si Soltauio credimus, patricios ad tantum exercitum comparandum suffecisse, quantum a Seruii temporibus populum romanum habuisse putandum sit; quod si clientes in legionibus stipendia facerent, eos ciuium iure non caruisse, facile Soltauio concedimus. Tum monet, in iis legibus, quibus plebis publicum ius post reges exactos mutationem aliquam acceperit, nullam usquam clientium mentionem fieri, ut consentaneum sit, plebis nomine etiam eos comprehendi, qui in alterius ciuis clientela fuerint. Atque hactenus de clientibus. Deinde ad plebis condicionem considerandam transgressus, negat eam ullo eiusmodi iure caruisse, quod si quis non

[1] Uide Soltau pp. 637 sqq.: 644 adn. 1.

[2] L. l. pp. 639—644.

haberet, ciuis romanus esse nequiret. Quomodo patricii principatus ortum declaret, melius ipsius uerbis explicatur (l. l. p. 652): "Alle dem Patriciat inhärirenden Ehrenrechte, nämlich theils das alleinige Anrecht auf Priester-, Richter- und Beamtenstellen, theils eine Reihe sacraler Prätensionen, wie das Recht die *confarreatio* und *auspicia priuata* zu besitzen, beruhten allein auf der factisch wie rechtlich bedeutsamen Stellung der Geschlechter und dem in ihnen sich ausbildenden *ius gentilicium*."

Quod de his rebus statuit Soltau, maximam partem probo, et infra apparebit, me in multis rebus, quae ad nostram quaestionem pertinent, eius doctrina imniti. Sed qua argumentandi ratione usus est, in eam liceat mihi hic pauca afferre. Post illa uerba, quae modo attuli, operam dat, ut ostendat, quomodo factum sit, ut tanta uis esset gentilicii iuris, tam magni momenti ipsa gentilitas, unde patriciarum gentium principatum genitum putet. Sed me fugit, quid efficiant ea, quae affert, nisi concessum sit, patricios solos gentium uinculis obstrictos fuisse. Crederes per Soltauium id quam facillime concedi, qui l. l. p. 654 patriciis gentibus plebeias societates, illis consimiles, opponat[1]; quod utrum recte statuatur necne, plebem gentibus caruisse, hic mitto, quoniam ad eam quaestionem examinandam infra mihi reuertendum erit; nunc id tantum commemorem, quod hoc loco plurimum ualet. Soltauium ipsum alia libri sui parte declarare, non sibi uerisimile uideri, patricios solos gentes habuisse[2]. Quo fit, ut non bene perspiciatur, quod adiumentum ad principatum obtinendum patriciis per gentilitates parari potuerit.

Neque hoc plane praetereundum est. Dubitatur, semperne plebs ciuitatis romanae una pars fuerit. Quae dubi-

[1] Uerba Soltauii haec sunt: "Höchstens könnte dabei noch danach gefragt werden, wie es gekommen sei, dass ausserdem alle einzelnen patricischen Gentilverbindungen zusammen sich als ein eigener abgeschlossener Stand aller analogen plebejischen Genossenschaften gegenüber fühlen konnten." Cui quaestioni nullum responsum proponit.

[2] L. l. p. 89 adn. 3

tatio si omnino solui poterit, nonne praecipue considerare debemus, quomodo patricia nobilitas orta sit, ut fecit Rubino? Nam si ostenderimus, quo modo principatum suum consecutae sint et exercuerint patriciae gentes, statim — opinor — apparebit, utrum plebs semper ciuitatem habuerit necne. Uelut, qui patriciorum superiora iura ex antiquiore ciuitatis possessione declarant, plebeios homines dediticios aut aduenticios fuisse necesse est concludant. Concedo eam rem a Soltauio non plane esse neglectam; uidimus eum de gentilitatis ui locutum, quaeque in uniuersum ad nobilitatem efficiendam pertinent, non praeteriit[1]. Sed huic quaestioni parum momenti tribuisse uidetur, si quidem de patriciae nobilitatis origine neque copiosius neque satis dilucide disputauit et ante omnia perquirere conatus est, quae antiquissima fuisset clientium et plebis condicio — num ea habuissent iura, quae ad ciuitatem romanam constituendam necessaria essent. Quae rei tractandae ratio ea laborat difficultate, quod diiudicandum est, quae opus sint iura ad ciuitatis notionem efficiendam; quae aliis temporibus et apud alios populos alia esse possunt. Accedit alterum incommodum, quod clientium et plebeiorum hominum condicione quam maxima cura perpensa non potest statui, num semper inter ciues numerati sint. Si e. g. probaueris eos Seruii temporibus ciuitatem habuisse, altera statim occurrit quaestio, num eo tempore, quo Roma condita est, eius generis homines inter ciues fuerint, qui postea plebeii appellarentur.

Quamquam liber Soltauii a uiris doctis satis bene acceptus est, diu eius parum rationis habitum est, cum de iis rebus agendum esset, quibus hic sumus occupati. Multa post illum librum editum et praeclarissima opera prodierunt, quibus antiquitates et iura populi romani explicabantur; sed utut plebis status exponebatur, semper ob eam rem patriciis principatus cessisse dicebatur, quod initio soli ciuitatem habuissent. Ut illam plerique ex semiciuibus aut dediticiis natam esse docebant, ita hos archiciues fuisse contendebant. Uerum nunc credo de hac re aliter iudicabitur. Nam uir antiqui-

[1] L. l. pp. 647 sqq.

tatum et historiarum peritissimus, E. Meyer, in libro nuper edito non solum non negligit ea, quae disseruit Soltau, sed ita probat, ut haud dubitanter contendat, patricias gentes semper unam tantum populi partem fuisse, nobilitate, non ciuitatis possessione, super plebem excellentem[1]. Et quoniam liber eius is est, quem philologorum non parui numeri intersit cognoscere, non facile ea patriciae plebeiaeque ciuitatis enarratio, quam praebet, in obliuionem incurret. Tum tanta uiri doctissimi auctoritas est, ut nemo posthac in animum inducturus sit praedicare, nihil eum in rebus romanis intelligere, qui illam de patriciis gentibus sententiam minus probet, cuius primus auctor erat Niebuhr.

Sed Meyer quaestionem nostram non nisi breuiter tractauit, quod in illo opere aliter fieri non potuit, quo totam antiquorum populorum historiam tractandam sibi proposuisset. Quare non inutile fore spero, si ad disceptationem denuo uocata erit. Praesertim cum uideam, quae a Meyero de patriciis exposita sunt, apud nos non sperni, sed ob eam rem in libros non admissa, quibus utuntur publicarum scholarum alumni, quod ea sententia, quam defendit, nondum satis perpensa et explorata existimatur. Atque ita commentationem meam institui, ut primum ea exponerem, quae scriptores antiqui de origine gentium patriciarum constare putarunt.

Antiqui scriptores patriciam nobilitatem eodem fere tempore ortam esse narrant, quo urbs conderetur. Quid de eius origine crediderint, his praesertim locis discimus, qui notissimi sunt neque a me hic exscriberentur, nisi iis multo plus ponderis tribuerem, quam uulgo iis ascribi uideo:

Cic. de rep. II 12, 23: . . . *ille Romuli senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres uellet nominari patriciosque eorum liberos;* quibuscum uelim conferantur, quae ibidem 8, 14 scripta

[1] Eduard Meyer: Geschichte des Alterthums II. Stuttgart 1893, pp. 512 sqq.

sunt: *(Romulus) cum Tatio in regium consilium delegerat principes, qui appellati sunt propter caritatem patres.* Liu. I 8: *Cum iam uirium haud poeniteret, consilium deinde uiribus parat (Romulus): centum creat senatores, siue quia is numerus satis erat, siue quia soli centum erant, qui creari patres possent: patres certe ab honore, patriciique progenies eorum appellati.* Dionys. II 8: τοὺς ἐπιφανεῖς κατὰ γένος καὶ δι' ἀρετὴν ἐπαινουμένους καὶ χρήμασιν ὡς ἐν τοῖς τότε καιροῖς εὐπόρους, οἷς ἤδη παῖδες ἦσαν, διώριζεν (ὁ Ῥωμύλος) ἀπὸ τῶν ἀσήμων καὶ ταπεινῶν καὶ ἀπόρων. ἐκάλει δὲ τοὺς μὲν ἐν τῇ καταδεεστέρᾳ τύχῃ πληβείους, ὡς δ' ἂν Ἕλληνες εἴποιεν δημοτικούς· τοὺς δ' ἐν τῇ κρείττονι πατέρας εἴτε διὰ τὸ πρεσβεύειν ἡλικίᾳ τῶν ἄλλων, εἴθ' ὅτι παῖδες αὐτοῖς ἦσαν, εἴτε διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ γένους, εἴτε διὰ πάντα ταῦτα· — — — — — — οἱ μὲν δὴ τὰ πιθανώτατα περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας ἱστοροῦντες διὰ ταύτας τὰς αἰτίας κληθῆναί φασι τοὺς ἄνδρας ἐκείνους πατέρας καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτῶν πατρικίους. Plut. Rom. 13: Ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἐχρῆτο δήμῳ (ὁ Ῥωμύλος), καὶ πόπουλους ὠνομάσθη τὸ πλῆθος· ἑκατὸν δὲ τοὺς ἀρίστους ἀπέδειξε βουλευτάς, καὶ αὐτοὺς μὲν πατρικίους, τὸ δὲ σύστημα σενᾶτον προσηγόρευσεν. Ὁ μὲν οὖν σενᾶτος ἀτρεκῶς γερουσίαν σημαίνει. πατρικίους δὲ τοὺς βουλευτὰς κληθῆναι λέγουσιν, οἱ μέν, ὅτι παίδων γνησίων πατέρες ἦσαν, οἱ δὲ μᾶλλον, ὡς αὐτοὺς ἔχοντας ἑαυτῶν ἀποδεῖξαι πατέρας, ὅπερ οὐ πολλοῖς ὑπῆρξε τῶν πρώτων εἰς τὴν πόλιν συῤῥεόντων. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς πατρωνείας. — — — — ἐν ἀρχῇ μὲν οὖν πατέρας αὐτοὺς μόνον, ὕστερον δὲ πλειόνων προσαναλαμβανομένων πατέρας συγγεγραμμένους προσηγόρευσαν.

Uideamus, num haec omnia ex eodem fonte fluxisse potuerint. Primum apparet, nihil in mora esse, quominus Cicero et Liuius eiusdem auctoris doctrinam reddere putentur. Paulo aliter quam illi Plutarchus rem exponit. Nam illi una uoce declarant, Romuli senatores *patres* appellatos esse eorumque progeniem *patricios*, hic in ceteris cum Cicerone et Liuio consentit, sed ipsos illos primos senatores — quorum de progenie apud eum nulla fit mentio — et *patres* et *patricios* appellatos facit. Quae tamen dissimili-

tudo et satis parua est neque necessario prohibet, quominus Plutarchum iisdem auctoribus Romuli res narrauisse credamus atque Ciceronem Liuiumque. Existimabant ante uiri docti patriciam senatus partem semper *patres* appellatam esse. Sed hoc non ita fuisse ostendit H. Christensen dissertatione, quae inscribitur: Die ursprüngliche Bedeutung der patricii[1]. Ubi monet *patres* illo sensu positum singulari numero carere; si opus esset singulari numero, *unum e patrum numero* aut *uirum patricium* aut solam *patricium* singulos appellandos fuisse. Atque nonnullos antiquorum scriptorum locos affert, quibus *patriciorum* fit mentio, cum de iis rebus agitur, quae usitatiore loquendi modo patrum curae commissae fuerint — de interregno et de patrum auctoritate. Eandem fere diuersitatem inter *patricios* et *patres* primo fuisse putat, quae postea inter *senatores* et *senatum* fuit. Quare Plutarchum non male rem denotasse existimat, cum diceret: *αὐτοὺς μὲν πατρικίους, τὸ δὲ σύστημα σενάτον προσηγόρευσεν.* Quae, inquit, perbene se habuissent, si pro *σενάτον* positum esset *πατέρας.* Ergo quae Plutarchi uerba attulimus, non iis contraria sunt, quae tradunt Liuius et Cicero.

Iam si nos ad Dionysium conuertimus, plane aliam cum eo causam habemus. Id quidem ei cum omnibus commune est, quod Romulum patres a cetera turba segregasse narrat, hoc autem apud eum nouum occurrit, quod illi non pro senatoribus habentur, sed a rege electi dicuntur, ut nobilitatis locum tenerent et cum illo publicis rebus praeessent. Postea suo loco, quomodo senatus ortus sit, explicatur, quem Romulus ita composuisse dicitur, ut centum uiri mirifico modo e patriciorum numero legerentur (l. l. c. 12). Quae omnia cum a Romuli fabula, ut plerumque exhibetur, penitus differant, quaeritur, utram narrationem antiquiorem putare debeamus. Sine dubio Ciceronis, Liuii, Plutarchi.

[1] Progr. Husum 1876. Plutarchus ipse ambo nomina pari iure usurpata esse contendit (q. R. 58): *τοὺς μὲν ἐξ ἀρχῆς κατανεμηθέντας ὑπὸ τοῦ Ῥωμύλου πατέρας ἐκάλουν καὶ πατρικίους, οἷον εὐπατρίδας ὄντας, πατέρας αὐτῶν ἔχοντας ἀποδεῖξαι.*

Nam quae apud Dionysium sunt, contortiora sunt, parum habent simplicitatis. Non dubito, quin ipsius scriptoris importunae sedulitati debeantur. Neque non dignosci potest causa, cur traditam opinionem respuendam censuerit[1]. Cognitum enim habebat, senatores posterioris temporis *patres conscriptos*, non *patres* appellari, neque suspicatus est, id aliquando aliter fuisse; quod haec eius uerba nobis persuadent (l. l.): *οἱ δὲ μετέχοντες τοῦ βουλευτηρίου πατέρες ἔγγραφοι προσηγορεύθησαν.* Item suo tempore senatoriam dignitatem et patriciam nobilitatem plane diuersas res esse sciebat, neque hanc ex illa nasci. Quare sic ea mutauit, quae ab antiquioribus scriptoribus acceperat, ut non minus *patribus* et *patriciis*, de quibus loquebantur illi, locum pararet quam *patribus conscriptis*, quos ipse nouerat. Si haec recte statuimus, nihil obstat, quominus omnia ea antiquitatis testimonia, quae supra attulimus, ex eodem forte fluxisse putemus.

Sequitur, ut dispiciamus, qui hic fuerit fons. Atque non longae cogitationis est intelligere, eum nullum alium esse potuisse quam eorum scriptorum libros, quos annalium scriptores appellare consueuimus. Quorum quamquam nemo locis a nobis allatis nominatim commemoratur, uix dubitandum est, quin iam omnium uetustissimus rerum romanarum scriptor, Fabius Pictor, rem ita, ut supra factum est, tradiderit et ad eius exemplum ceteri, fere nulla mutatione facta. Facere non possum, quin hanc sententiam complectar, cum considero, eam rem, quam nunc in quaestionem uocauimus, maioris esse momenti, quam ut a Fabio silentio praeteriri potuerit. Quod si Fabius hoc loco unum praebuit, a posterioribus annalium scriptoribus alterum datum est, nome pro certo assumere possumus, Ciceronem, Liuium, Plutarchum illum secutos esse? Nam Liuius, si in tanta re Fabii auctoritatem deseruisset, quem ceteris omnibus scriptoribus uetustate anteire praedicat, nisi ualde fallimur, adnotauisset, illum dispari sententia fuisse[2].

[1] Cfr Rubino l. l. p. 185. adn. 1.

[2] Ut scriptum est apud eum I 44: *milia LXXX eo lustro ciuium censa dicuntur; adicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor eorum, qui arma ferre possent, eum numerum fuisse.* Cfr II 40.

Et licet nusquam declarent antiqui scriptores, ea quae de Romuli senatu exponunt, similiter iam a Fabio Pictore narrata esse, id tamen factum esse ob eam quoque rem uerisimile est, quod grauissimarum rerum memoriam, quae ad Romuli fabulam pertinent, usque ab illo auctore ductam esse, non modo suspicari, sed pro certo contendere possumus. Nam postquam Plutarchus Rom. cap. 13 de patrum siue patriciorum origine et de patronatus ratione disseruit, proximo capite hoc modo pergit: Τετάρτῳ δὲ μηνὶ μετὰ τὴν κτίσιν, ὡς Φάβιος ἱστορεῖ, τὸ περὶ τὴν ἁρπαγὴν ἐτολμήθη τῶν γυναικῶν. Uideamus, quid ceteri de tempore dicant, quo raptus sabinarum uirginum factus sit. Liuius annum non habet, quo commissum sit illud facinus, sed narrat (I 9) Romulum Consualia Neptuno Equestri sollennes ludos instituisse, ut mulierum rapiendarum occasio esset, quod idem et a Plutarcho commemoratur; item Cicero annum tacet, sed regem hoc *nouum et subagreste consilium* Consualibus perpetrasse auctor est (l. l. 7, 12). Dionysius denique ut priores Consualibus uirgines raptas esse narrat; de anno autem ita loquitur (II 31): Ταῦτα δὲ γενέσθαι τινὲς μὲν γράφουσι κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς Ῥωμύλου ἀρχῆς. Γναῖος δὲ Γέλλιος κατὰ τὸν τέταρτον; post quae explicat, quibus commotus causis Gellium tempus rectius aestimauisse putet. Cicero igitur et Liuius neque omnia commemorant, quae Fabius tradiderat, neque — quantum discernere possumus — ultra eius auctoritatem progrediuntur. Sed et ea, quae Gellio auctore Dionysius praebet, a Fabii narratione pendere uidentur. Quod Romam a. d. XI Kal. Maias, quo die Palilia celebrabantur, conditam esse uetus erat fama, Consualia uero a. d. XI Kal. Septembres agebantur, quattuor menses inter urbem conditam et raptum uirginum intercessisse narrauit Fabius. Cur illud spatium Gellio minus satisfecerit, apud Dionysium cognoscere possumus: νέον γὰρ οἰκιζομένης πόλεως ἡγεμόνα πρὶν ἢ καταστήσασθαι τὴν πολιτείαν ἔργῳ τηλικούτῳ ἐπιχειρεῖν οὐκ ἔχει λόγον. Quare pro quattuor mensibus, cum non uideret, unde haustus esset ille numerus, quattuor annos ipse commentus sit. Liceat mihi alteram

quoque rem commemorare, quae cum iniuria sabinis illata cohaeret. Narrat Dionysius duobus modis Tarpeiae exitium memoriae proditum esse [1]; docet enim L. Pisone auctore Tarpeiam insidias contra sabinos parasse et ab illis esse necatam, cum dolus eius patefactus esset; Fabium autem et Cincium aliter rem narrauisse, ut puellam suos prodentem facerent. Non potest dubitari, utra antiquior fuerit fabula. Liuius Fabium secutus est; cognouerat id quoque, quod a Pisone traditum erat, sed his solum uerbis alterius narrationis mentionem facit, postquam Tarpeiae res exposuit (I 11): *sunt qui eam ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus esset, directo arma petisse dicunt et fraude uisam agere sua ipsam peremptam mercede.* Atque quod hoc loco Fabium ducem secutus est, propter notissimam Liuii scribendi consuetudinem uerisimile est, etiam ea, quae de patriciorum origine narrat, apud Fabium eum inuenisse. Solet enim per longa operis sui spatia eiusdem auctoris uestigia premere, minutas tantum animaduersiunculas aliunde infundens [2].

Breuiter solum has res attigi, quod nescio an nemo dubitet, quin ex antiquissimis rerum scriptoribus petita sint, quae de patriciae nobilitatis ortu ab iis narrantur, qui posteriore aetate in populi romani historia scribenda uersati sunt. Credo in aperto esse, cur necessario constituendum putem, quo fonte illa prouenerint: scilicet quod ita demum iudicari potest, quantum ponderis illis narrationibus tribuendum sit. Et in his rebus narrandis quantam Fabio auctoritatem concedi oporteat, mox reputare conabimur. Sed forsitan non inutile sit prius quaerere, quid ergo de patrum et patriciorum origine senserit. Plerique non dubitarunt concedere, illos Ciceronis et Liuii et Plutarchi locos ita esse interpretandos, ut patriciam nobilitatem e regio consilio ortam docerent. Immo crederes, rem in disceptationem non posse uocari. Sed Mommsen alia est sententia, si re uera id dicere uoluit, quod in his eius uerbis inesse uidetur:

[1] II 29.

[2] Cfr Nitzsch: Römische Annalistik, p. 21 sq.

„Die römische Vollbürgerschaft, so wird gelehrt, bestand ursprünglich aus hundert Familien, deren Väter, die *patres*, die mehr oder minder concret gedachten Stammväter der einzelnen Geschlechter, den Rath, deren Descendenten, die *patricii*, mit jenen die Bürgerschaft bilden[1].“ Quae uerba ne testimonii fide careant, adnotatione altera inferiore pagina addita legentes ad eos ipsos locos mittuntur, quos supra commemorauimus, Cic. de rep. II 12, 23, Liu. I 8, Dionys. II 8. Ubi nisi oculis fallimur, ne uerbo quidem patriciae ciuitatis mentio fit. Ne Dionysius quidem ea docet, quae cum uerbis illis Mommseni congruant. Narrat a rege eos, qui humiliore fortuna uiuerent, plebeios uocatos et ad tenuioris condicionis munera relegatos esse; sed ciuitate eos priuatos esse, non suspicatus est. Neque minus dilucida sunt, quae scripserunt Cicero et Liuius. Liceat iterum uerba eorum afferre. Liuius igitur ita loquebatur: *centum creat senatores — — —; patres certe ab honore, patriciique progenies eorum appellati.* Cicero haec habebat: *ille Romuli senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres uellet nominari patriciosque eorum liberos.* Hicne contenditur, ciuitatem umquam ex centum patriciis familiis constitisse? Quod Mommsen de ciuitatis romanae origine docuit, num aliis argumentis firmari possit, infra examinabo; ex annalibus antiquis non potest exprimi, quod eius sententiae adiumento sit.

Et quoniam constitutum habemus, quomodo patriciarum gentium originem finxerit Fabius (quamquam uerisimile est eum, quod narrat, a maioribus accepisse), consideremus, num qua ei fides habenda sit in hac re diiudicanda. Sed inter diuersas narrationis partes distinguendum est. Apparet nonnulla ab eo narrata esse, de quibus nihil ipse iudicare posset quaeque merae fabulae essent. Neque uero ob eam rem omnis ei fides abroganda est; nec statim negandum, Fabii testimonium aliquid ualere ad ea confirmanda, quae de Romuli *patribus* accepimus, si ita comparata sunt, ut non omnino probabilitate careant et ob eam

[1] SR III p. 14.

rem reicienda sint. Constat eas annalium partes, quibus regum tempora continentur, ita confectas esse, ut ea liberae rei publicae instituta atque mores, quorum origo obliuione obruta erat, suam haberent explicationem. Ob hanc eorum annalium condicionem, quibus antiquissimae res populi romani narrantur, fieri non poterat, quin narrationis quasi externa lineamenta — ut personae et tempora — uanas imagines proderent; neque eo minus accidere potuit, ut si eiusmodi res exceperis, plurimae recte explicarentur, modo posteriora tempora antiquiorum aliqua uestigia seruauissent, quorum auxilio adiuti uia et ratione maiorum instituta repetere possent rerum scriptores. Quod ut exemplo illustremus, nemo sit, qui annalium scriptoribus credat, Romam re uera a Romulo a. d. XI Kal. Mai. esse conditam; neque tamen ulla causa est, cur necessario dubitemus, quin omnino certo die et certis caerimoniis condita sit, ut tradunt illi. Item quod narrauit Fabius, Romulum centum fecisse senatores et statim ab his exortam esse patriciam nobilitatem, id memoriae mandauit, de quo non magis ipse ullum iudicium habere posset quam qui proximis ante eum uixerant saeculis. Uerumtamen aliquid ueri huic quoque fabulae inesse posse, quis neget? Si cetera missa facimus atque hoc tantum ex annalium testimoniis retinemus, patriciam nobilitatem e regio consilio natam esse aut, ut cautius loquamur, ex iis *patribus*, qui liberae rei publicae temporibus senatus una pars erant, quosque sine dubio ueteres scriptores — recte an perperam hic nihil ad nos — regii consilii hereditatem cepisse putabant, si hoc solum retinemus, statimne decernendum est, ne in hac quidem re Fabii autoritatem — ut eius solum rationem habeam — quidquam ualere? Et si sub ultimos liberae rei publicae annos originariam et genuinam gentium patriciarum condicionem tam obscuratam fuisse putamus, ut Ciceronis, quem exempli gratia nomino, opinioni fere nulla uis sit tribuenda — ac re uera Ciceronis et Liuii uerba, quae supra attuli, nunc plerumque ita laudantur, quasi non nisi ipsorum opiniones siue commenta praebeant — hanc rem plane eodem modo iam Fabii

temporibus se habuisse censeamus? Fabius Pictor natus est circiter anno ducentesimo quinquagesimo a. Ch. n. Proximo igitur ante eius aetatem saeculo quam maxime flagrabant ciuilia certamina, quorum memoria multis et grauissimis legibus seruabatur, quae sanctae essent, ut patriciorum et plebis contentionibus finis imponeretur. Ita constat anno a. Ch. n. trecentesimo tricesimo nono a Publilio Philone dictatore latum esse, *ut plebiscita omnes quirites tenerent* — quod etiam plus centum annis ante legibus Ualeriis Horatiis constitutum esse dicitur — et *ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent*, qua lege uel firmissimum patriciae potestatis munimentum sublatum est; denique *ut alter utique ex plebe censor crearetur*. Deinde anno a. Ch. n. trecentesimo rogatione Ogulnia constitutum est, *ut cum quattuor pontifices ea tempestate essent placeretque augeri sacerdotum numerum, quattuor pontifices, quinque augures de plebe omnes allegerentur*. Quae rogatio non nisi post magnas contentiones perlata est, si Liuio credendum. Tum scimus ultimam plebis *secessionem* factam esse et lege Hortensia denuo confirmatum, ut plebiscita legum uim haberent. Atque etiam lex Maenia huc pertinet, qua sanctum est, ut tum quoque, cum magistratus crearentur, antequam suffragium initum esset, patres auctores fierent. Quae lex quando iussa sit, non constat, nisi quod non longo tempore ante Fabii aetatem rogata est. Immo ipse noster Fabius non solum fama et maiorum narrationibus patriciorum et plebis certamina cognouerat. Scriptum exstat apud Sallustium, discordiarum et certaminis finem fuisse secundum bellum punicum [1], quod de patriciorum cum plebe contentionibus accipiendum est. Unde concludere possumus Fabium horum certaminum aliquid uidisse. Atque Mommsen credit, per censuram C. Flaminii comitiorum centuriatorum nouum ordinem institutum esse eaque occasione ad *centurias patricias procum* plebeios homines admissos esse [2]. Certe uide-

[1] Hist. I 9. Dietsch.
[2] SR III pp. 254, 270.

rat Fabius, quid post mortem Aemilii Paulli fieret, cum M. Marcellus consul suffectus esset. *Cui ineunti consulatum cum tonuisset, uocati augures uitio creatum uideri pronuntiauerunt, uulgoque patres ita fama ferebant, quod tum primum duo plebeii consules facti essent, id deis cordi non esse* [1]. Quo adductus est Marcellus, ut magistratu se abdicaret. Et paucis annis post patriciae arrogantiae nouum proditum est exemplum; anno enim a. Ch. n. ducentesimo nono *inter maiorum rerum curas comitia maximi curionis — — — uetus excitauerunt certamen, patriciis negantibus C. Mamilii Atelli, qui unus ex plebe petebat, habendam rationem esse, quia nemo ante eum nisi ex patribus id sacerdotium habuisset* [2]. Sit hoc paruum, ut et Liuio uisum est. Nihilo minus, quamdiu quaedam patricia iura defendebantur, satis uerisimile est, earum rationum memoriam seruatam esse, quibus ante patricii pro suo principatu pugnare consueuerant. Non defuit igitur Fabio rerum copia, quarum auxilio ipse recte statuere posset, ubi patriciae nobilitatis origo esset quaerenda. Sed etiamsi belli punici secundi temporibus pertenuis facta erat patricii iuris cognitio, tamen satis firmo fundamento iacent, quae de gentium patriciarum origine narrauit Fabius. Nam necesse est credamus, eum quod de Romuli senatu tradit, non ipsum confinxisse, sed id scripsisse, quod a maioribus accepisset. Sed si ante eius aetatem illam fabulam confictam esse putamus, non possumus non concedere, eo tempore eam extitisse aut paulo post, quo non modo non composita essent patrum et plebis certamina, sed etiamtum quam acerrime gererentur. Iis uero temporibus, quae illarum contentionum plena erant, Publilii Philonis et Hortensii temporibus, non facile negaueris indagari potuisse, quae diuersitas inter patricios esset et plebem et quo patricia nobilitas semine orta esset. Si tum temporis non potuit discerni, patricios uiros antiquiore quodam ciuitatis genere frui, ac patricia nobilitas e publico quodam consilio

[1] Liu. 23, 31. Cfr Plut. Marc. 12.
[2] Liu. 27, 8.

constare putabatur et eorum familiis, qui in illo consilio erant — non romanae multitudinis aliquanta pars existimabatur, quae pro antiquiore ciuium genere haberi posset — non eum operae pretium facturum credo, qui nunc euincere studeat, patricios aliquando solos ciues fuisse. Aut in illorum placitis acquiescendum puto, aut omnem spem relinquendam, quid in hac re uerum sit, eruendi. Nam quamuis haec aetas ad rerum gestarum memoriam recuperandam et historiae ueritatem aestimandam multo liberiore et exercitatiore oculorum acie accedat, tanta illis indiciorum abundantia et cognitionum copia suppeditabat, ut iudicii exilitatem compensaret. Ac ne iudicio quidem eorum, quorum opera antiquiorum rerum romanarum notitia ad nos peruenit, ultra modum obtrectandum est. Nam plurima sine dubio iis uiris debemus, qui in iure interpretando et in rebus gerendis uersati sint. Nisi forte credimus, publicarum rerum memoriam ante Fabii aetatem ab iis praesertim esse seruatam, qui in illis ordinandis nullas partes habuissent. Fabius autem, ut ad eum reuertamur, uulgatam aequalium suorum sententiam aut male intellexisse aut non recte pronuntiasse putandusne est? Qui ipse summae erat auctoritatis et cuius familia una erat ex iis, quae in ciuitate per saecula plurimum potuissent, quare erat exspectandum, ut antiquarum rerum notitia quam maxime esset imbutus. Non nescio, eum a Polybio uituperari, quod neque integra ueritate neque satis magna diligentia de Karthaginum rebus scripserit; sed de patriciarum gentium origine eum aliud docuisse, quam quod uulgo uerum esse putabatur, ne suspicari quidem licet.

Quae de Fabii auctoritate disputaui, ea concordia et constantia ualde confirmantur, qua antiqui scriptores patriciam nobilitatem a regio senatu ortam docent. De prima patrum institutione quae maxime opus erat cognoscere, supra attuli. Uidimus Dionysium, quod a ceteris dissentit, sua sponte traditam fabulam mutauisse. Ubi praeterea in ueterum libris illa res commemoratur, uelut Sallust. Cat. VI 6, Iust. XLIII 3, Fest. p. 339 [1], semper eodem modo narratur,

[1] Cfr Christensen, Hermes IX p. 198 sq.

quo apud Ciceronem et Liuium tradita est. Uerum enim non omnes patriciae gentes originem suam primae patrum creationi debuerunt. Itaque si scire cupimus, num in patriciae nobilitatis origine explicanda antiqui scriptores sibi ipsi constent, uidendum est, quomodo ceteras gentes patricias ortas uelint. Et primum constat, cum regum aetate nouae patrum creationes factae esse dicuntur, iis eundem sensum tribui atque ei patrum lectioni, quae Romulo ascribitur. Ita Dionysius post romanam et sabinam ciuitates in unum corpus confusas patriciorum numerum duplicatum esse narrat et ex nouis patriciis centum alteros senatores lectos facit (II 47), idemque post Albam deuictam certas albanas domos senatus et magistratuum romanorum participes factas et inter patricias gentes numeratas docet (III 29). De iis igitur patrum lectionibus eandem habet opinionem, quam in illa Romuli lectione narranda exposuerat. Sed cum ad Tarquinii tempora processit, paulo aliter rem explicat; quem narrat Dionysius (III 67) centum uiros ex omni plebe elegisse, quos et patricios faceret et inter senatores haberet. Si recte de eo Dionysii loco iudicauimus, quem supra attulimus, non est, cur haec a ueterum scriptorum doctrina petita putemus et uarias de origine patriciae dignitatis opiniones a maioribus quasi hereditate acceptas eius testimonio credamus. Cicero (De rep. II 20) ita loquitur, ut planum fiat, cum eos patres, qui a Tarquinio allecti essent, senatores fuisse putare. Liuius haec de Tullo scripsit (I 30): *principes albanorum in patres — — — legit; — templumque ordini ab se aucto curiam fecit, quae Hostilia usque ad patrum nostrorum memoriam appellata est;* atque haec de superiore Tarquinio (I 35): *centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati, factio haud dubia regis, cuius beneficio in curiam uenerant.* De Appio Claudio inter patricios promoto haec narrat Dionysius (V 40): ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψε. Suetonius (Tib. 1) uago loquendi modo, cum Appius Romam commigrasset, *gentem* Claudiam in patricias cooptatam dicit. Liuius eam rem his uerbis narrat (II 16): *Appius inter*

patres lectus haud ita multo post in principum dignationem peruenit. Quae uerba opinor idem docent, quod haec Plutarchi (Publ. 21): αὐτὸν (τὸν Κλαῦσον) — τῇ βουλῇ προσέγραψεν (ὁ Ποπλικόλας). Nisi fallor ea solum, quae apud Liuium et Plutarchum occurrunt, uetustatis speciem habent.

At non solum apud Dionysium, sed etiam apud alios scriptores hic illic, cum singulis gentibus patriciam dignitatem concessam audimus, id eiusmodi uerbis commemoratur, quibus significetur, non uno tempore aut potius non uno actu patriciam et senatoriam dignitatem datam esse. Ita in Suetonii libris ea inueniuntur, quae ab illa opinione, quam de patriciarum gentium origine annales uetustissimi habuisse uidentur, quam maxime abhorreant. Eius generis hic est locus, qui in Diui Augusti uita § 1 occurrit: *Ea gens* (Octauia) *a Tarquinio Prisco rege inter minores gentes allecta in senatum, mox a Seruio Tullio in patricias traducta procedente tempore ad plebem se contulit ac rursus magno interuallo per Diuum Iulium in patriciatum redit;* etiam haec offendunt (ibidem § 10): *in locum tr. pl. forte demortui candidatum se ostendit* (Octauianus), *quamquam patricius necdum senator;* quae ita solum cum ea sententia congruere uidentur, quam de patriciae nobilitatis ortu ueteres habuisse contendimus, si Octauianum per adoptionem Caesaris patricium factum esse putamus. Ad hunc locum infra reuertemur. Ille prior ita mihi comparatus uidetur, ut si eam plane negligam, non uerear, ne mihi nimiae incuriae tribuatur. Sed forsitan quispiam ob eam causam uerba Suetonii non prorsus spernenda ducat, quod patriciam et senatoriam dignitatem a principio diuersas fuisse etiam Dio Cassius existimasse uidetur. Haec enim de priore Tarquinio memoriae mandauit (fragm. 8): οὕτω τὸν Μάρκιον διέθηκεν, ὥστε καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας καὶ ἐς τὴν βουλὴν ὑπ' αὐτοῦ καταλεχθῆναι. Haec Dionysius eodem fere uerbis narrauerat (III 41): αὐτὸν ὁ Μάρκιος — — — ἐς τὸν τῶν πατρικίων τε καὶ βουλευτῶν ἀριθμὸν κατέγραψεν; sed Dionis uerbis ob eam rem plus auctoritatis attribuendum quam Dionysii, quod ille in iis rebus explicandis, quae ad ius

publicum romanorum pertinent, summam diligentiam et doctrinam adhibuisse putatur. Tamen cauendum est, ne nimiam ei fidem habeamus. Nam et in aliis errauit, et quamquam historiarum Dionis eius partis, quae ad antiquissima populi romani tempora pertinebat, perpauca adhuc seruantur, quae restant, satis docent, hunc scriptorem in illius aetatis rebus narrandis nihil aut fere nihil — neque prudenti fontium aestimatione neque cura atque diligentia — ceteris antiquitatis scriptoribus praestare.

Quod ut exemplo demonstremus, discimus fragm. 14, 4 Romulum *patres* elegisse: ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ πατέρες, ἐξελεξάμην, οὐχ ἵνα ὑμεῖς ἐμοῦ ἄρχοιτε, ἀλλ' ἵνα ἐγὼ ὑμῖν ἐπιτάττοιμι. Ubi uerisimillimum uidetur, uoce πατέρες senatores significari. Et quod Dio Romulum πατέρες dicentem facit, cum ueteribus annalibus consentire uidetur; sed re uera nescio an casu scripserit, quod hic erat scribendum; nam aliis locis, ubi aliquid exspectandum erat, quod latinum *patres conscripti* redderet — ut XLIV 23 et XLV 18 — simpliciter πατέρες posuit, non πατέρες ἔγγραφοι aut — ut Dionysius V 72; VI 35; 37; 38, alias — ὦ βουλή, quod non e latinae linguae consuetudine, sed tamen magis ad rem fuisset. Sed multo magis in alia re offendit. Cum plebis et patriciorum certamina narranda essent, patriciorum nullam mentionem fecisse uidetur et his uerbis plebeiorum hominum motum describit (fragm. 16, 4): ἄλλως τε γὰρ ἐδυσχέραινον, ὅτι μὴ τὰ αὐτὰ δεόμενοι σφῶν οἱ βουλευταὶ καὶ τυχόντες ἐφρόνουν, ἀλλ' ἐν μὲν τῷ κινδύνῳ πολλὰ καὶ μεγάλα αὐτοῖς ὑπέσχοντο, σωθέντες δὲ οὐδὲν οὐδὲ τῶν ἐλαχίστων ἐποίησαν. Non patricii hic, sed senatores plebem oppressisse dicuntur. Atque ne credamus, Dionem patricios maxime senatores designare uoluisse, eodem loco οἱ ἰσχύοντες τοῖς χρήμασιν et οἱ καταδεέστεροι inter se opponuntur (1), item οἱ δυνατώτεροι et οἱ ὑποδεέστεροι (7), item pecuniarum creditores et debitores (8). Immo cum prima plebis secessio commemoratur (Ibid. 9), ne ea quidem propter patriciorum iniurias facta esse dicitur, sed pro patriciis iterum οἱ βουλευταί occurrunt. Crederes, apud Dionem plebem statim post reges exactos non cum patriciis

contendisse, sed cum ea populi parte, quae postea optimatium appellatione significabatur cuiusque propugnaculum erat senatus. Ut facile intelligatur, eum, cum antiquissimas populi romani res narraret, posteriorum et deterioris notae annalium scriptoribus ultra modum confisum esse, qui optimatium et popularium, ut appellantur, partium contentiones uiderant et ad eorum similitudinem plebis cum patribus certamina conformauerant.

Sed ut ad ea reuertamur, quae de patriciae dignitatis origine senserit, forsitan multo posterioris temporis instituta et mores considerans sibi persuaserit, patricios non e regum aliquo consilio processisse. Uerum ne tum quidem, si hac uia ad opinionem suam peruenit, ulla causa est, cur ad eius iudicium nostram sententiam dirigamus. Ut enim Dionem in liberae rei publicae antiquissimis temporibus narrandis grauiter errasse uidimus, ita cum de iis temporibus loquitur, quorum ei plenior notitia suppeditabat, de patricia dignitate largienda id tradit, quod neque satis certum sit, neque si sit, tantum ualeat, ut ob id sub Caesarum tempora, quae de illa re docuerant annales, minus probata credamus. Ualde dubito, rectene se habeant, quae de Octauiani patricia dignitate apud eum occurrunt, quamquam quodammodo per ea defendi uidentur, quae de ea re et a Suetonio et alibi exposita sunt. Hoc apud Dionem inuenimus XLV 2: ὁ Καῖσαρ ἔς τε τοὺς εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε καὶ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἤσκει. Suetonius autem haec habet, quae iam attulimus (Diu. Aug. § 10): *in locum tribuni plebis forte demortui candidatum se ostendit, quamquam patricius necdum senator.* Et Nicolaus Damascenus, Octauium, antequam Apolloniam profectus esset, patricium factum esse, his uerbis tradit[1]: διατρίβων δ' ἐν τῇ πόλει ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀποδείκνυται εἶναι τῶν πατρικίων. Quae Dionis, Suetonii, Nicolai testimonia si re uera id docent, quod docere uidentur — C. Octauium adolescentem, priusquam ullo magistratu functus esset, inter patricios allectum esse — fatendum est, in patriciis legendis non ad eas normas actum esse a Caesare, quae

[1] Fragm. 100 (Müller Fragm. hist. graec. III p. 434).

cum antiquorum scriptorum placitis congruerent. Nam si id fecisset, quoniam e publico consilio patricia dignitas orta putabatur, exspectandum erat, ut ea ita plebeii generis uiris daretur, ut inter patricios senatores allegerentur. Fieri potest, ut Caesar ueterum doctrinam nihil curarit. Sed nescio an illis uerbis aliquis error subsit. Sunt enim antiquorum scriptorum loci ceteraque monumenta, quae cum de posterioribus patriciorum lectionibus loquuntur, quamquam non aperte patriciorum senatorum numerum auctum declarant, tamen non modo non prohibeant, quominus id agi existimemus, sed ni fallor ad eiusmodi interpretationem ultro inuitent. Lege Cassia Caesari mandatum est, ut patriciorum numerum augeret[1]. Quod ab eo factum esse ita narrat Suetonius (Diu. Aug. 41): *Senatum suppleuit, patricios allegit, praetorum, aedilium, quaestorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliauit.* Haec uerba ita coniuncta sunt, ut docere uideantur, eorum uirorum numerum a Caesare auctum esse, qui in re publica regenda aliquo munere fungerentur. Sed uoce *patricii* nullum certum munus significabatur, nisi patricii senatoris. Etiam Dio uno tenore de senatorum et patriciorum numero aucto narrat (XLIII 47): καὶ προσέτι παμπληθεῖς μὲν ἐπὶ τὴν γερουσίαν — — ἐσέγραψεν, — — — πολλοὺς δὲ καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας, τούς τε ὑπατευκότας ἢ καὶ ἀρχήν τινα ἄρξαντας, ἐγκατέλεξεν. Quibus cum uerbis non bene quadrat, quod etiam Octauium inter patricios allectum dicit. Credo igitur Caesarem, non pontificis maximi officio[2], sed censorio munere fungentem — quod ei cum praefectura morum delatum erat[3] — patriciorum numerum augendum curasse, quamquam non sine legis iussu id facere potuerit, quod nulli antea populi romani magistratui permissum esset. Octauianus lege Saenia nouos patricios fecit[4], quae res Monumento Ancyrano his uerbis commemoratur (cap. 8 v. 1): *Patriciorum numerum auxi consul quintum iussu*

[1] Tac. Ann. XI 25.
[2] Uide Lange R. A. III³ p. 472.
[3] Dio XLIII 14; Sueton. Diu. Iul. 76.
[4] Tac. l. l.

populi et senatus. Quae patriciorum allectio num cum ea senatus lectione eoque populi censu, quem eodem anno incepit, aliquo modo cohaeserit, ipsa tabula non aperte indicatur. Sed statim post eam allectionem commemoratam haec sequuntur: *Senatum ter legi.* Quod inter patriciorum allectionem et senatus lectionem aliquem connexum fuisse, non aperte scriptum est, hoc non impedit, quominus nos eum fuisse putemus; cum tres simul senatus lectiones commemoret Augustus, patriciorum autem lectio cum una tantum earum coniuncta fuerit, non mirandum, quod non significauit, qui inter illa acta connexus esset; ob eandem causam factum esse credo, ut — cum statim post senatus lectiones eum populi censum commemoraret, quem cum Agrippa susceperat — senatus lectionem et hunc censum coniuncta fuisse taceret, quamquam senatus lectionem — licet non iure, at certe re — census partem fuisse existimandum est[1]. Dio (LII 42) Octauianum cum Agrippa censura functum senatum expurgasse narrat; tum nouos patricios factos docet; quam rem postquam exposuit, ita pergit: προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας e. q. s. Ut satis planum sit, ab eo hanc patriciorum allectionem inter ea acta numeratam esse, quibus senatus ordinaretur. Et hoc ab eo recte statutum esse, eo uerisimilius est, quod Claudius, Uespasianus, Titus pro censoria postestate patriciam dignitatem largiebantur[2].

Quae praeterea de patriciorum allectionibus cognoui, huic sententiae, quam proposui, neque obstant neque magnopere fauent. Nam post Octauii allectionem per longa tempora tam pauca seruata sunt nomina uirorum, qui inter patricios allecti sunt, ut ex iis nihil pro certo concludi possit. Sed ordine progrediamur. Quod in allectione, a Caesare facta, de personis allectorum apud Dionem scriptum est, non monet, ut de hac re aliud sentiamus, quam quod supra significaui. De Claudio nouos patricios legente ita apud Tacitum narratur (Ann. XI 25): *Iisdem diebus in*

[1] Mommsen: Res gestae Diui Augusti[3] pp. 35 sq.
[2] Cfr Mommsen SR II[3] 1101.

numerum patriciorum asciuit Caesar uetustissimum quemque e senatu aut quibus clari parentes fuerant. Ubi nihil prohibet, quominus uerba *e senatu* et ad *uetustissimum quemque* et ad eos, *quibus clari parentes fuerant,* referamus. Transeamus ad eos uiros enumerandos, qui nominatim inter patricios allecti dicuntur. Libris antiquis hunc honorem adeptos cognouimus (praeter Octauium) Ciceronem[1], L. Saluium Othonem[2], Agricolam[3], Annium Uerum[4], Opellium Macrinum[5]. Quorum priores tres senatores erant; Annius Uerus quo loco fuerit, cum allegeretur, non constat, nisi quod pater eius senator erat; Macrinus, uir equestris ordinis, a senatu inter patricios lectus est, ut primum nuntius uenit, eum a militibus imperatorem factum esse. Latini tituli, quibus patriciorum allectiones commemorantur, haud pauci seruantur. Dessau I. L. S. I 964 P. Plautius Pulcher, uir praetorius, a Claudio inter patricios lectus dicitur, 975 M. Heluius Geminus, item praetorius, ab eodem. 990 et 991 Domitii Lucanus et Tullus fratres, ille praetorius, hic tribunicius, a Uespasiano patricii facti dicuntur. E titulo 1019 utpote mutilato nihil concludi potest. Titulum 1032 liceat mihi totum exscribere: — — — *diui Traiani Aug. prou. Britanniae, curat. aquar. urbis, pr., trib. mil. leg. XII Fulminat., salio Palat., quaest. Aug., curat. actorum senatus, adlecto inter patric. ab diuo Uespasiano, III uir a. a. a. f. f., ex testamento Uettillae eius.* Uidemus eum uirum, cuius honores hic titulus enumerat, statim post uigintiuiratum inter patricios allectum. Item 1054 et 1063 nomina continent uirorum, qui ante quaesturam gestam inter patricios allecti sunt. 1126 uir quidam, cuius nomen euanuit, a Commodo inter quaestorios et inter patricios lectus dicitur. 1127 memoriam seruat M. Antonii Antii Lupi pr., patricii, auguris, quaest. e. q. s. Sed super-

[1] Dio XLVI 22.
[2] Suetonius: Otho 1.
[3] Tac. Agric. 9.
[4] Iul. Cap.: M. Antoninus Phil. 1.
[5] Iul. Cap.: Op. Macr. 7.

uacaneum est plura enumerare; iam enim uidimus, saltem a Uespasiani et Titi temporibus patriciam dignitatem iis indultam esse, qui nondum senatores essent. Quaerendum est igitur, num quae probabiles rationes praesto sint, quibus declaretur, quomodo fieri potuerit, ut posteriore aetate in patriciis allegendis aliter ageretur, quam Caesaris et Octauiani temporibus factum esset. Cui quaestioni antequam respondere conor, liceat monere, patriciam dignitatem numquam extra senatorium ordinem datam esse. Sub imperatoribus non in libero uniuscuiusque arbitrio positum erat, utrum a cursu honorum abstinere uellet necne, et quicumque uigintiuiratum aut tribunatum militarem gesserat, ei postea necesse erat quaesturam gerere et inter senatores locum accipere. Ita ei quoque, qui nullum magistratum gessisset, patricia dignitas tribui poterat, ut non extra senatorium ordinem profusa uideretur; cuius rei exemplo est Dessau I. l. 1152, ubi T. Flauium Aristum Ulpianum, *clarissimum puerum*, cuius etiamtum parentes et maior frater uiuerent, *in patricias familias* lectum uidemus. Credo Mommsenum recte coniecisse, senatores filios suos in album *clarissimorum puerorum* profiteri coactos esse, ut in conspectu essent, qui ad magistratus petendos uocari possent[1]. Sed uideamus, quae cogitari possit causa, cur a Uespasiano et Tito censoribus in patriciis allegendis antiquum morem desertum putemus. Cum Caesar et postea Octauianus patriciorum numerum augendum curarent, liberae rei publicae instituta etiamtum uigebant; comitiis ut antea leges iubebat populus et magistratus creabat, quamquam antiquae libertatis nihil supererat nisi uana imago. Neque plane certum erat, non amplius fore ut interregna opus essent. Illo igitur tempore nondum in obliuionem abierat, quae propria patriciorum munera essent. Sed postea, cum nulla comitia essent, quibus patrum auctoritas daretur, neque interregibus ullus locus relictus esset, magis magisque eam opinionem confirmari necesse erat, cui addictus erat Dio, ei, qui inter patricios legeretur, nihil aliud quam certum nobilitatis genus conferri,

[1] SR I^3 476 adn. 2.

cui quaedam sacerdotia reseruata essent. Ita fieri potuit, ut patriciarum familiarum principes orirentur, qui nondum in senatu essent.

Cum hae considero quaeque de censura in patriciis allegendis usurpata modo disputaui, non sine iusta causa de Octauio puero inter patricios lecto dubitare uideor. Nec perspicio, cur eum Caesar inter patricios allegerit, quem per adoptionem eadem dignitate ornare posset et re uera testamento filium suum faceret. Et ut ad ea ueterum testimonia redeam, quae huc pertinent, Nicolaus tradidit, Octauium, antequam Apolloniam profectus esset, a senatu inter patricios allectum. Cum putandum sit, eum in senatu commemorando errasse, etiam quae de tempore narrat, non dubito reicere. Suetonius auctor est, eum tribunatum plebis petisse, quamquam patricius esset necdum senator, sed rem ei non bene successisse. Hic nonne mirandum, quomodo factum sit, ut omnino in animum induceret Octauianus tribunatum plebis petere, si patricius esset? Nam quoniam in demortui tribuni locum se candidatum professus est, non putandum est, eiusmodi eum tribuniciam potestatem petisse, qualis Caesari commissa erat[1]. Credo rem ita se habuisse: Cum Antonius impedisset, ne adoptio lege curiata perficeretur[2], iure se plebeium esse et tribunatum petere posse declarauit Octauianus. Sed si hoc statuimus, quid sibi uolunt uerba illa Suetonius *quamquam patricius?* Ut ego sentio, non docent, testamentariam adoptionem perfectam esse, nedum Octauianum a Caesare in patricios lectum. Sed monuerint, qui petitionem Octauiani impedire studebant, eum, cum de morte et testamento Caesaris Apolloniam nuntiatum esset, statim pro herede Caesaris agere coepisse eiusque nomen asciuisse; quare tum minus eum constanter agere, cum tribunatum plebis peteret. Re uera altera tantum res alicuius momenti fuerit, quod senator non erat, i. e. quaesturam

[1] De tribunicia potestate Caesaris scripsit L. Wiegandt: C. Iulius Cäsar und die tribunicische Gewalt. Cfr Wochenschr. für Kl. Phil. 1891 coll. 396 sqq.

[2] Dio XLV 5.

non gesserat; nam etiamsi non lex, at mos tamen tribunatum ante quaesturam gestam peti prohibebat; Appianus petitionem eius propterea nouam existimatam docet, quod uixdum adulta erat aetate [1]. Atque ex illius contentionis corrupta memoria ea Dionis uerba (ut et Nicolai) repetenda censeo, quae supra attuli: ὁ Καῖσαρ ἐς — — — τοὺς εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε.

Ita quae de patricia dignitate Octauiani a Dione narrantur, iis nequaquam ostendi credo, praeter eam patriciae nobilitatis declarationem, quae apud Liuium ceterosque rerum scriptores excepto Dionysio occurrit, etiam aliam sub finem liberae rei publicae solitam esse proponi — ac tanto minus, quod non uera sint. Neque opinor Dio huic rei aliquid momenti tribuit. Quae de patriciarum gentium origine sensit, ex ea condicione computauit, qua suorum temporum patricios uti uidebat. Non igitur ex iis historiarum eius fragmentis, quae ad regum aetatem pertinent, concludendum est, de origine patriciarum gentium quondam ab aliis aliter narratum esse.

Sed restant nonnulli ueterum librorum loci, qui eorum sententiae fauere uideantur, qui patricios non superioris aetatis nobilitatem fuisse putant, in senatoria uel simili aliqua dignitate fontem suum habentem, sed — ut iam plerisque latinarum rerum doctoribus placet — originarios et genuinos rei publicae romanae ciues. Cuius generis loci hi sunt: Festus p. 241: *Patricios Cincius ait in libro de comitiis eos appellari solitos, qui nunc ingenui uocentur*. Dionysius II 8: οἱ μὲν δὴ τὰ πιθανώτατα περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας ἱστοροῦντες διὰ ταύτας τὰς αἰτίας κληθῆναί φασι τοὺς ἄνδρας ἐκείνους πατέρας καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτῶν πατρικίους. οἱ δὲ πρὸς τὸν ἴδιον φθόνον ἀναφέροντες τὸ πρᾶγμα καὶ διαβάλλοντες εἰς δυσγένειαν τὴν πόλιν οὐ διὰ ταῦτα πατρικίους ἐκείνους κληθῆναί φασιν, ἀλλ' ὅτι πατέρας εἶχον ἀποδεῖξαι μόνοι, ὡς τῶν γε ἄλλων δραπετῶν ὄντων καὶ οὐκ ἐχόντων ὀνομάσαι πατέρας ἐλευθέρους. Quibus cum locis conferendum est Liu. X 8: *en umquam*

[1] App. Bell. ciu. III 31; Cfr Hoffmann: Der Römische Senat pp. 158 sq. et Mommsen SR I^{3} p. 554 adn. 1.

fando audistis, patricios primo esse factos, non de caelo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est nihil ultra quam ingenuos?

Is Cincius, cuius uerba a Festo seruata supra exscripsi, nunc uulgo creditur non annalium ille scriptor fuisse, sed alter L. Cincius, cuius opera, quot nunc cognita sunt, H. Peter in Historicorum Romanorum Reliquiis p. cv enumerat quemque ibidem pp. cvii sq. Uarronis aequalem aut paulo maiorem fuisse conatus est ostendere. Et quoniam eum Cincium etiam in grammaticis rebus operam posuisse accipimus, facile nobis persuademus, Festum uerba eius summatim dedisse et ex Cincio fluxisse aut saltem etiam apud eum traditum esse, quod apud Liuium et Dionysium scriptum est, patricios ita uocatos, quia soli patrem ciere (πατέρας ἀποδεῖξαι siue ὀνομάσαι) possent, i. e. soli ingenui essent. Atque ni fallor, ipsa Festi uerba docent, Cincio non minus cordi fuisse, ut patriciorum appellationem declararet, quam ut patriciatus naturam et originem exponeret. Sed quomodo iudicandum sit de his, quae a Cincio et aliis tradita sunt, nunc statuere conemur. Recte monuit Mommsen, hos etymologicos lusus, si ad rem spectas, cum sua ipsius uocis *patricius* explicandae ratione congruere, cum putet rei publicae romanae primarios ciues, qui iidem soli gentiles essent, ideo patricios appellatos, quia ii soli iure patrem haberent. Sed quod hanc uerbi uim iureconsultis antiquitus notam et unicuique, qui latine loqueretur, dilucidam fuisse existimat, etymologicam uero explicationem postea — Augusti temporibus — factam [1], uereor, ne grauiter erret. Siue patricios a patre ciendo dictos putabant ueteres scriptores, siue in fine uerbi idem suffixum agnoscebant, quod et in *aedilicius* et *tribunicius* occurrit, illam interpretationem non ad eos ab antiquissimis temporibus traditam, sed ab iis ipsis excogitatam, et ita quidem, ut magis uerbi formam quam ipsam rem spectarent, mihi persuasum est. Ad quam sententiam eo magis inclino, cum

[1] SR III p. 13 adn. 2.

considero, eos compluribus modis uerba *patres* et *patricii* interpretari conatos esse.

Sed propius consideremus, quid sibi uelint illa Cincii uerba. Credo, omnes eos doctissimos uiros, qui plebem aliquando ciuitate caruisse docent, minus caute egisse, cum illa, quaeque ex illis fluxisse uidentur, testimonii loco adhiberent. Nam fieri potest, ut Cincius de iis solum patriciis locutus sit, quos a cetera multitudine Romulus segregauisse narratur [1]. Constat autem, in Romuli fabula narrari, cum asylum apertum esset, "ex finitimis populis turbam omnem sine discrimine, liber an seruus esset, auidam nouarum rerum", Romam confluxisse, sed liberos solos et ingenuos, ut hoc loco Cincii uerbum inseramus, ad plenam ciuitatem acceptos, nequaquam dictum est. Quare ne id quidem concludere licet, Cincium patriciis solis illam concessam uoluisse. Atque Cincii uerba re uera ad ipsam urbis originem spectare et *patricios* eius illos Romuli consiliarios fuisse, quos plerumque *patres* appellatos uidimus, ex Festi quidem loco non potest erui, sed facile probatur, si recte statui, eos ueterum librorum locos, quos supra post Festi uerba attuli, cum his esse coniungenda. Ad quos etiam ille Plutarchi loci accedunt, ubi planis uerbis narrat, quorundam sententia senatores ideo patricios appellatos esse, quia illi soli patrum suorum nomina edere possent, quod non multi facere possent ex iis, qui primi ad urbem confluxissent [2]. Dionysius primo aspectu id narrare uidetur, quod cum nostra sententia non possit conciliari, siquidem scripsit, illos, quos elegit Romulus, patres uocatos, progeniem autem eorum

[1] Mommsen SR III p. 14, postquam de primis patribus et de primis patriciis, illorum posteris, locutus est, haec addit: "der Begriff des patricius in dieser ursprünglichen Beschränkung deckt sich mit den späteren ingenuus". Adn. 3 ita pergit: "Dies und nicht mehr meint Cincius in der Schrift de comitiis (bei Festus 241): *patricios — — — uocentur*, wovon wohl auch Liuius X 8 abhängt: *patricios — — — ingenuos*. Dies trifft für die romulische Legende vollständig zu". Si haec recte perspexi, Mommsen Cincii uerba ad prima urbis tempora spectare putat, quamquam primos patricios non Romuli senatores, sed progeniem eorum facit.

[2] Uide supra p. 9 et p. 10 adn. 1.

patricios. Sed statim apparet, haec Dionysii uerba: ὡς τῶν γε ἄλλων δραπετῶν ὄντων καὶ οὐκ ἐχόντων ὀνομάσαι πατέρας ἐλευθέρους — haec uerba nullum rectum sensum habere, nisi illa fugitiuorum turba, quorum anonymi erant parentes, illis a Romulis electis (non liberis eorum) opponitur. Quare, cum scribit Dionysius οἱ δὲ — οὐ διὰ ταῦτα πατρικίους ἐκείνους κληθῆναί φασιν, ἀλλ' ὅτι πατέρας εἶχον ἀποδεῖξαι μόνοι, necesse est πατρικίους pro iisdem haberi, quos ante πατέρας appellauit. Atque forte accidit, ut Dionysius praeter ea, quae supra exscripsi, etiam alterum Cincianae doctrinae uestigium seruauerit (si omnia ad unum auctorem conferenda sunt, quibus demonstrabatur, patricios inde appellationem suam duxisse, quod soli ingenui essent). Nam postquam narrauit, esse antiquitatum studiosos, qui ob eam causam patricios ita appellatos docerent, quod soli ingenuam originem ostentare possent, cetera multitudo fugitiuorum et spuriorum colluuies esset, quibus argumentis sententiam suam defendant, ita demonstrat: τεκμήριον δὲ τούτου παρέχουσιν, ὅτι τοὺς μὲν πατρικίους, ὁπότε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συγκαλεῖν, οἱ κήρυκες ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευον, τοὺς δὲ δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς ἀθρόους κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. Dionysius utrum non intellexerit an nihil curauerit, hos patricios pro regis consiliariis accipiendos esse, in medio relinquamus. Sed non potest dubitari, quin Cincius, seu quo alio auctore Dionysius illa narrauit, de regio consilio uerba fecerit, non omnes patricios uiros significare uoluerit. Nam quod docet, patricios nominatim uocari solitos, quando regi eos conuocari placeret, plebem uero per buccinatores uocatam ad comitia conuenisse, non potest utrumque ad comitia spectare. Sine dubio is, apud quem illa inuenit Dionysius, patricios nominatim uocatos dixit, cum regi senatus sui consilio opus esset. Nam patricia comitia nulla cognita erant, et singulos patricii generis uiros umquam nominatim ad comitia uocari solitos, tam non uerisimile uidetur, ut dubitem, an nullus romanus scriptor in animum induxerit tale aliquid memoriae mandare. Senatores uero interdum singulos ad curiam arcessendos fuisse, ueri-

simile est; quod cum olim saepius factum crederetur[1], illud de regum senatoribus nominatim per praeconem uocatis antiquitatum aliquis scriptor confinxerit. Quod si illi *patricii*, qui soli *patres ciere* potuisse dicuntur, pro iis habendi sunt, quos a cetera multitudine propter generis nobilitatem segregauit Romulus, ut h. l. ea uox, quod nonnumquam fit, idem significet atque *patres*, non est, cur illos locos, qui fortasse omnes a Cincii de comitiis libro originem suam ducunt, ab iis narrationibus abhorrere putemus, quibus Liuius, Plutarchus, Cicero patriciarum gentium originem narrant.

Credo igitur concedendum esse, in patriciarum gentium origine enarranda ab antiquis scriptoribus summa concordia actum esse neque contra annalium auctoritatem hac in re quidquam memoriae proditum esse, quod non a posterioris aetatis scriptoribus et rei publicae romanae minus peritis confictum sit. Supra conatus sum ostendere, eos, qui in his studiis operam posuerunt, iniquius ea testimonia aestimasse, quae annalium scriptoribus debentur; uerum ita egi, ut horum scriptorum tempora solum et personas considerarem itaque constituere conarer, quantum iis fidei esset assignandum. Sequitur ut id ipsum examinem, quod tradiderunt — utrum per se tam absurdum sit et nullius pretii, ut nos melius nulla mora alio conuertamus; an forte non solum non sua ipsius debilitate statim corruat, sed etiam ueritatis speciem prae se ferat. Tum ad extremum uidendum, numquid omnino de institutis et iure populi romani compertum habeamus, quod impediat, quominus in iis acquiescamus, quae de patriciae nobilitatis ortu antiquissimi rerum romanarum scriptores a maioribus acceperant aut ipsi cogitatione erant assecuti.

Supra concessi de Romulo operisque eius multa in annalibus narrata esse, quae nemo uera esse in mentem induceret. Sed quamuis hoc concesserim, id, quod solum hoc

[1] Cic. Cat. Mai. XVI: *A uilla in senatum arcessebatur et Curius et ceteri senes, ex quo, qui eos arcessebant, uiatores nominati sunt.*

loco alicuius momenti est, recte dictum esse potest — illud publicum consilium, quod posteriore tempore senatus unam partem fuisse cognouimus, patriciae nobilitatis ut firmissimum uinculum et munimentum, ita fontem quoque et principium fuisse. Non licet temere contendere, nihil ueri annalium scriptores de hac re ratiocinatione constituere potuisse. Uideamus, quantum in iudicio suo sapientiae collocauerint, et ita quidem, ut ad eam nos conuertamus quaestionem, num illo modo orta nobilitas omnino cogitari possit.

Quam quaestionem ita soluere conabor, ut eas primum ponderem rationes, quibus antiquitatum doctores id refutari existiment, quod de patriciarum gentium origine apud ueteres scriptores traditum est. Quas rationes planis uerbis exponere plerique praetermiserunt. Sed cum unus saltem et cuius — praesertim apud nos — summa est auctoritas, I. N. Maduig, hanc sibi operam iniunxerit, eius uerba hoc loco afferenda et percensenda existimaui.

Maduig igitur, postquam eos locos explicauit, quos supra attuli (Cic. De rep. II 8. 12, Liu. I 8, Plut. Rom. 13, Dionys. II 8), in hunc modum eorum fidem impugnat[1]: talem nobilitatis institutionem, quae regio nutu ob id ipsum fieret, ut omnino esset aliqua nobilitas, quaque praesertim magnus gentium numerus dempto connubio a cetero populo quasi inmobili muro segregaretur, neque cum natura et ratione regni romani conciliari posse et per se contra omnem probabilitatem pugnare; nobilitatem tenera populorum aetate sensim oriri, cum ad libertatem accederent uirtus atque fortitudo, agrorum possessio, aliena terra armis occupata, cumque iis rebus contrariae ex altera parte opponerentur seruitus eiusque notae, libertis in posterum pertinaciter adhaerentes: inopia et obsequium. Qui uero praeter ea cogitaret dissimilitudinem illam clientium plebisque, quae proprie appellaretur, antiquissimorum temporum historia saepe notatam, huiusque ortum in ipso rerum ordine positum, tum permagnum patriciorum numerum respiceret, Fabiorum et aliis

[1] Madvig: Den Romerske Stats Forfatning og Forvaltning. I pp. 65 sq.

eiusmodi fabulis comprobatum longisque illis certaminibus, quibus a patribus plebi resisteretur, cum haec interdum cetero populo tam esset infesta, ut domibus relictis ex urbe secederet; qui denique consideraret, publica instituta ad totum populum pertinentia (uelut tribus, equitum centuriae, uirgines uestales) cum numero amplificarentur, id ab historiarum scriptoribus cum nouarum patriciarum gentium cooptatione coniungi; fieri non posse, ut dubitaret, quin patricii primae regiae aetatis genuini et liberi ciues fuissent, pleno ciuili iure praediti et multitudine quadam clientium stipati, qui ob originem modo dictam singulis gentibus uario numero obsequio essent deuincti. Deinde ad illos, prout augerentur res romanae, nouorum ciuium turbam, i. e. plebem accessisse, quae primo ad nullum publicum ius admissa, certe gentium imperio non esset obnoxia.

E libro Maduigii totum eum locum perscripsi, qui ad nostram quaestionem pertinet, quamquam non omnia eius argumenta hic erant examinanda. Quare eorum pleraque leuiter tantum perstringam. Quod de numero patriciorum loquitur, non credo diiudicari posse, quid de hac re putandum sit, antequam sit constitutum, ubi origo patriciae nobilitatis quaerenda sit; quae ueterum fabulis de ea re narrantur, pauca sunt et fide carent. Ea autem, quae de illa clientium et plebis dissimilitudine scripsit, recte iudicauerit necne, infra occasio nobis erit considerandi. Quod uero, cum quaedam publica instituta amplificarentur, antiquos scriptores docuisse contendit, etiam patriciarum gentium numerum auctum esse, inter has res quendam connexum ab iis statutum esse non nego. Sed Maduigii sententiae minime fauent, quoniam minores *gentes* nouae *patrum* creationi originem suam debere uolunt. Uenio ad ea examinanda, quibus conatus est ostendere uir illustrissimus, nullam nobilitatem eo modo oriri potuisse, quo iam Fabii Pictoris aetate patriciam nobilitatem ortam esse docebatur.

Primum uiro doctissimo id obici posse uidetur, quod non sententiam integram reddit eorum scriptorum, quos hoc modo impugnat: "En saadan Stiftelse af en Adel ved Kongebeslutning eller overhovedet ved en bestemt dertil sigtende — — — Foranstaltning — — er baade efter den romerske Kongemagts Beskaffenhed og i sig selv aldeles utænkelig." Neque enim narrauerunt — praeter Dionysium — Romulum nobilitatem ita instituisse, ut totum populum inter illam et plebem distribueret, sed primus rex romanorum e ciuium multitudine centum elegisse dicitur, qui sibi pro consilio essent; neque cuiuslibet generis homines ad eum honorem admissi esse narrantur, nam uidemus scriptores, quos attuli, eos solum patrum muneribus functos existimasse, qui ob hanc uel illam causam ceteris ciuibus praestarent. Tum uero horum posteros patriciam appellationem hereditate accepisse et inter nobiles uiros numeratos esse cognoscimus, quia scilicet mos et natura hominum id ferret, non quod rex ita fieri uoluisset. In hac igitur re mihi quidem Madvig minus aequus annalium existimator fuisse uidetur.

At licet non regis iussu creata sit patricia nobilitas, tamen statim post urbem conditam quasi uno momento temporis adulta et absoluta conspicitur. Hic annalium scriptores errasse apparet; nam nobilitas — id quidem Maduigio concedimus — non nisi paulatim nascitur, longa annorum serie, compluribus causis adiuantibus. Sed in ea re non posita est summa quaestionis. Quamquam breuiore quasi formula conceperunt, quod de origine patriciae nobilitatis erat narrandum, non statim negandum est, recte id ab iis intellectum esse, quod caput erat rei. Paulo uberius res ita potest explicari: cum uiri, genere, uirtute, diuitiis excellentes in patrum consilium admitterentur — siue id consilium regum aetate, siue posterius institutum putandum est — ipsa humanarum rerum condicio tulit, ut sensim patricia nobilitas oriretur, quoniam homines fere potentiam suis hereditate tradere cupiunt, alienis maligne detinent, atque, ubi potentia euanuerit, auita dignitas tamen manere solet. Maduig quidem his uerbis expedire conatus est, quomodo nobilitas ut ita dicam naturali ratione existere soleat: "Adel udvikler sig i Folkenes ældste Tid efterhaanden af Frihed forbunden med personlig Dygtighed og Kraft, fast Eiendomsbesiddelse. Er-

obring i Modsætning til Trældom og dens blivende Mærke paa de Frigivne, Besiddelselöshed og Undertrykkelse." Si haec omnia uno tempore adesse uelit uir doctissimus ad nobilitatem efficiendam, uereor ne parum caute egerit. Nam licet Lacedaemoniorum exemplum doceat, libertatis et seruitutis discrimen efficere posse, ut nobilitas oriatur, ita omne nobilitatis genus exstitisse, nimia audacia concluditur; contra, si recentiora tempora respicimus — quid enim de antiquissima populorum aetate loquitur Maduig, de qua fere nihil sciri potest? — haud raro in ipso nobilitatis ortu illius discriminis causam positam fuisse uidemus. Liceat hic enumerare, quibus fundamentis nobilitatem niti docuerunt Rubino et H. Dondorff[1], quorum iudicia plane conspirant; haec sunt: primum clarum genus, tum diuitiae, deinde bellicarum rerum melior disciplina, denique ciuilis et diuini iuris peritia atque usus. Ad quae plerumque accedere credo certi alicuius publici muneris administrationem. Ex hac igitur parte annalium scriptores nihil contra historiae praecepta deliquisse existimo.

In hac commentationis meae parte mihi proposui, ut inuestigarem, num ea, quae de patriciarum gentium ortu tradiderunt ueteres scriptores, per se tam nihil probabilitatis haberent, ut uel ob eam causam essent explodenda. Spero mihi concessum iri, non esse dubitandum, quin nobilitas omnino illo modo oriri possit. Sed quoniam haec nobilitas, de qua quaerimus, patrum et patriciorum nominibus appellatur, non inutile erit cogitare, utrum utrauis eius origo cum illa appellatione conciliari possit, an propter *patrum* et *patriciorum* nomina probabile fiat, patricias gentes hoc potius quam illo modo superiorem in ciuitate locum esse consecutas.

Inter omnes constat, cum in antiquis libris *patrum* mentio fit, non semper eodem sensu illud uocabulum positum esse. Atque quattuor modis usurpatum esse uidetur, ut patres appellarentur tum omnes ii, qui patriciae gentis erant, tum ii, qui posteriore aetate optimates dicebantur, tum ii, qui auctoritate sua rogationes confirmabant et ad interreges prodendos coibant — quosque nunc paene omnes antiquitatum doctores regium senatum liberaeque rei publicae senatus patriciam partem fuisse existimant — tum denique hic idem liberae rei publicae senatus[1]. Sed proprio et suo nomine apud ueteres eos solum *patres* appellatos esse, quos primo et tertio loco posui, nunc fere omnibus probatum est, licet contendant, utrum sensum hoc uocabulum prius habuerit. *Patricii* uero non solum ii ciues uocabantur, qui e patriciis gentibus erant oriundi, sed etiam illi regii senatores, qui plerumque patres appellabantur[2]. Iam si has appellationes considero, per eas admodum confirmari censeo, quae de patriciarum gentium origine antiqui scriptores protulerunt. Nam etiamsi ipsi excogitarunt, quae de hac re memoriae mandarunt, necesse est inclinemus, ut eos uerum uidisse putemus, postquam inuenimus, ita, quae praebent, conformata esse, ut res et nomina quam optime inter se congruant. Patricios aliquo modo cum illis patribus connexos fuisse, quos leges auctoritate sua confirmasse constat, eo minus negari potest, quod interdum illam uocem (*patricii*) pro hac (*patres*) usurpatam deprehendimus. Quod quidem docet uel ipsa uox, patricium eum fuisse, qui inter patres aut esset aut cooptari posset aut illius dignitatis maiores haberet. Ut ex hac parte, patricii qui essent, satis considerate interpretati uideantur annalium scriptores. Sed unam rem posuerunt, quae dubitationem elicere possit. Uocis enim *patres* alterum sensum priorem et originarium fuisse constituerunt: *patrum* appellationem primum regio senatui tribuerunt, tum tacite ad totam patriciam nobilitatem significandam transtulerunt. Quod si hac in re errauerunt et *patres* ab initio ei appellabantur, qui soli plena ciuitate fruerentur et patriciae originis essent, ut ii uiri, qui ad interreges prodendos coibant, ob eam solum causam *patres* audirent, quod praeclaro illo sanguine nati erant, necesse est dissoluantur

[1] Hisiorische Zeitschrift 1891 pp. 216 sqq.

[1] Cfr Christensen: Die ursprüngliche Bedeutung der Patres. Hermes IX; Soltau l. l. p. 194.

[2] Uide eam Christenseni dissertationem p. 20, quam supra p. 10 laudaui, et Soltau l. l. pp. 203 sqq.

omnia, quae computauerunt. Uerum hic quoque, si cogitamus, utrum ipsa appellatio antiquorum scriptorum opinioni faueat necne, ipso *patrum* nomine horum sententiam quam maxime defendi statim in oculos incurrit[1]. Nam si patres senatus una pars erant et credendum est, eos iam ante liberae rei publicae tempora senatus muneribus nec non quibusdam aliis functos esse, non immerito eos illud nomen adeptos putamus, aut propter aetatem aut propter curae similitudinem uel etiam ab honore uel ob omnes has causas. Quod si concessum est, rem et nomen tam apte inter se conuenire, non nimia audacia concluditur, *patrum* appellationem publico illi consilio ab origine propriam fuisse, praesertim cum non pari facilitate perspicitur, quomodo ciues originarii uel patriciarum gentium alumni illo nomine significari potuerint, qua de re infra nobis agendum erit.

Neque defuerunt, qui *patres* ab initio illud rei publicae consilium fuisse concederent, quod posteriore tempore, cum plebeii homines nec toto patrum iure praediti accessissent, cum his nouum consilium, senatum populi romani conficeret. Nihilo minus plerique non, ut fecit Rubino, hanc sententiam ita exsecuti sunt, ut patricios pro hominibus nobilibus haberent, qui senatoria (ut ad antiquissima tempora hoc uocabulum referam) maiorum dignitate superiora quaedam sibi iura parauissent, sed ciues antiquos, solos plenae ciuitatis possessores, eos fuisse existimarunt, quibus postea noui ciues, plebis nomine notati, opponerentur. At quoniam non potest ambigi, quin *patriciorum* et *patrum* nomina aliquo modo inter se cohaereant[2], illius sententiae propugnatoribus declarandum est, quomodo ii, qui antiquioris ciuitatis participes essent, a ceteris ciuibus eo nomine distingui potuerint, quod a senatorum (sc. antiquioris senatus) appella-

[1] Cfr Christensen Hermes IX et Mommsen Röm. Forsch. I pp. 218 sqq. Uide praes. p. 228 cum adn.

[2] Huschke patres a patriciis diiunxit: Die Verfassung des Königs Seruius Tullius. Heidelberg 1838 p. 538 coll. cum p. 404. Göttling: Geschichte der römischen Staatsverfassung. Halle 1840 p. 153 duplicem uerbo *patres* notionem tribuit.

tione sumptum esset. Uideamus, quomodo haec iis res successerit.

Inter eos, qui patres ab initio regium senatum fuisse contendunt, Madvig erat. Quem quamquam honoris causa primo loco nomino, non possum concedere, uirum illustrissimum satis accurate declarasse, quomodo factum esset, ut omnes ii, quos olim solos ciues fuisse docet, patricii uocarentur. Ita enim rem explicat[1]: "Slægtsmedlemmerne og Slægterne betegnes ved Adjektivet, *patricii, gentes patriciae*, d. e.: til Plads i Raadet Egnede (Rathsfähige), Raadsslægter." Sed quamuis omnes ii, qui patricii appellabantur, inter patres legi potuerint, non adducor, ut ob eam ipsam rem eos patricios uocatos credam. Immo dubito, umquamne qui latine loquebantur illum sensum huic uoci tribuerint. Utut est, primarium patriciae appellationis sensum non indicauit Maduig, nisi quod addidit, gentes patricias danorum lingua uocabulo *Raadsslægter* uerti posse, neque ostendit, quomodo gentes patriciae et senatoriae gentes et antiquissimorum ciuium familiae esse potuerint.

Qui inter *patres* et *patricias gentes* fuerit connexus, eodem modo atque Maduig explicare conatur H. Christensen praeclaro opusculo, quod inscriptum est: "Die ursprüngliche Bedeutung der patricii" cuiusque supra mentionem feci. Christensen quoque patricios eos fuisse putat, quibus ad publicum consilium aditus pateret. Uerum paulo copiosius rem explicat et summa libri eo spectat (quod et ipse titulus docet), ut statuatur, quo sensu ab origine patricium nomen sit usurpatum. Supra commemoraui, eum *patres* et *patricios* et regios senatores plane eosdem fuisse existimare, neque celaui, quantopere haec mihi placeret sententia. Quamquam uix credo, patres umquam *solos* inter patricios numeratos. Nam non uideo, quomodo ii meliore iure patricii appellari potuerint, qui in patrum numero erant, quám eae res aut personae, quae omnino aliquo modo cum patribus coniunctae erant. Sed haec nihil ad rem. Postquam Christensen ostendit, illa uocabula — *patres* et *patricii* — a

[1] l. l. I p. 62.

senatoribus ad familias eorum paulatim esse translata, ita pergit[1]: "Als nun durch die sogenannte Servianische Reform der alten Bürgerschaft ein neuer Bestandtheil hinzugefügt wurde, war es natürlich und eigentlich eine unabweisliche Nothwendigkeit, dass der alte Theil derselben, der durch das *ius honorum* und andere Rechte den neu hinzugekommenen bedeutend überlegen war, auch durch den Namen sich von den letzteren unterscheiden musste. — — — Da lag denn, wie mir scheint, nichts näher, als dass die alten Bürger den neu hinzugekommenen, den *ciues nouicii* oder *plebeii* gegenüber sich als *ciues patricii* bezeichneten. In der That gab es kaum ein Wort, das einmal den Unterschied angab und zweitens auch die ehrenvollere Stellung hervorhob, insofern eben nur aus der alten Bürgerschaft die *patres*, die Senatoren, hervorgehen konnten." Haec, quae disseruit Christensen, uariam mihi reprehensionem mouere uidentur. Primum non possum discernere, cur necesse sit, aliquod uocabulum excogitatum esse, quo ueteres ciues a nouis distinguerentur. An raro accidit, ut qui ad eandem ciuitatem pertinent omnes eodem nomine significentur, etiamsi multis ac diuersis iuris gradibus utuntur? Neque quidquam ualent haec, quae ad sententiam suam defendendam inter ea inseruit Christensen, quae supra exscripsi: "Erhielten doch auch die Plebejer, die beim Anfange der Republik in den Senat aufgenommen wurden, einen anderen Titel, als die alten *patres*." Antiquissimis temporibus patrum munera tam diuersa erant ab iis, quibus plebeii senatores fungebantur, ut nulla fuisse uideatur ratio, cur hi patrum nomine designarentur. Quod annalium scriptores patres regium senatum fuisse docent, hoc forsitan recte coniecerint; neque tamen illud uocabulum sufficit ad omnia patrum officia designanda: et apparet, posterioris temporis res illis obuersatas esse, quo inter patrum munera ea erant grauissima, quae his cum ceteris senatoribus erant communia. Ueterum autem et nouorum ciuium alia ratio erat; in publicis muneribus obeundis nulla, quod sciam, inter plebeios et patricios ciues

[1] p. 26.

dissimilitudo cognita est. At enim hi meliore iure utebantur, inter patres et ad summos honores admittebantur. Si ob eam rem proprio iis nomine opus erat, sequiturne, ut apte patricii appellati sint? Immo mihi quidem Christensen in alteram difficultatem incurrere uidetur, cum declarat, patriciam appellationem, qua ueterum ciuium quaedam familiae essent ornatae, ad omnes commode transferri potuisse. Si, cum quis patricius dicebatur, nihil aliud cogitabatur, quam eum inter maiores suos senatores numerare, apparet, ceteros ueteres ciues, eos dico, quorum maiores non ad illud fastigium euecti essent, ita nullo modo appellari potuisse. Sin autem patricius ciuis is dicebatur, cui in patrum consilium aditus pateret — quam uocabuli interpretationem non prorsus reiciendam censeo, quamquam mihi non magni pretii esse uidetur; sed cogitari potest, rem eo perductam esse, ut ii soli, quorum maiores inter patres fuissent, inter patres legi possent atque temporis cursu in patricia appellatione duae notiones dignoscerentur: *cuius maiores inter patres fuerant* et *qui inter patres legi poterat* — sin ita res se habebat, iam ueterum ciuium pars aliqua e patrum consilio siue senatu patricio erat exclusa, neque intelligo, quomodo omnes illo nomine a nouis ciuibus distingui potuerint. "Nam eo ipso tempore, quo nouicii illi ciues in ciuitatem admitterentur, eos omnes subito patricios uocari coeptos esse, qui nullo publici iuris obstaculo a patrum consilio essent exclusi — hoc parum uerisimile ac paene absurdum esse, quis non uidet? Ita, quam tentauit Christensen explicationem, nisi fallor, sibi ipsa repugnat neque aliter defendi poterit, quam si sumpserimus, cum patricio nomine ueteres ciues significari inciperent, iam omnes eorum ciuium gentes alumnos in senatu habuisse.

Neque defuerunt, qui putarent, rem publicam romanam aliquando tam populari ratione gestam esse. Illa sententia defensorem nactus est Herzogium, e cuius praeclarissimo libro, qui inscribitur: *Geschichte und System der Römischen Staatsverfassung*, pauca hic mihi afferre liceat. I pag. 90 adn. 2 haec habet: "Ich glaube ebenfalls, dass innerhalb des

Staats technisch der Ausdruck *patres* zuerst allein den Senat bedeutete, aber ich verbinde dies mit den patriarchalischen Verhältnissen so, dass dieser Ausdrück eben gewählt wurde, weil die Senatoren die Altesten, gleichsam die Väter ihres Geschlechts waren." Haec ab iis, quae supra exposuimus, ea re differunt, quod Herzog senatores non totius ciuitatis, sed suae quemque gentis *patres* uocatos putat; quae neque necessaria neque praeclara coniectura uidetur, quoniam ita non eadem facilitate explicatur, cur *pater* singulari numero numquam pro uno inter patres scriptum inueniamus. Tum ita pergit: "Patricii ferner — — bezeichnet alle vollberechtigte Geschlechtsangehörigen als solche, die mit einem aus der Patres verwandt waren, entweder gegenüber den Klienten oder erst gegenüber der Plebs." Herzog igitur, omnes, qui singularum gentium pleno iure participes essent, cum *patribus* illis agnatione coniunctos fuisse docet. Quod idem paulo post his uerbis explicat: "Beide Bezeichnungen, *patres* und *patricii*, gehen davon aus, dass jedes Geschlecht einen Vertreter im Senat hatte; als dann die Zahl der Geschlechter und der Senatoren sich nicht mehr deckte, waren Patricier solche, aus deren Geschlecht einmal ein Vertreter im Senat gewesen war, und wieder einer gewählt werden konnte, also 'die Senatsfähigen'." Herzog igitur omnes patricias gentes alumnos in patrum consilio habuisse existimat, neque id casu quodam factum docet, sed quod aliquo publico instituto unaquaeque gens ad senatum legauerit, qui suam uicem communi saluti consuleret. Sed hoc ipsum utrum recte statuerit necne, uideamus. Et quod in hac re nullum certum argumentum ne esse quidem potest, consideremus, num saltem uerisimile sit, quod disputauit. Ut mihi quidem uidetur, quam minime. Neque enim concedere possum, tam confirmatum esse et extra omnes dubitationes positum, gentes in re publica eam potestatem exercuisse, qua a multis et doctissimis uiris exornantur. Accedit, quod ius publicum romanorum, quantum scio, praeterea talis ciuium corporis nullum habet exemplum, quod aequaliter ex certis populi partibus electum eorum coetuum

imaginem reddiderit, quos recentiores usitatissimo uocabulo populi repraesentationes appellare solemus. Quare eam sententiam, quam proposuit Herzog, iis fundamentis carere existimo, quibus tuto aedificari possit; et in summas se implicaturum difficultates, qui demonstrare studeat, *patres* antiquissimum senatum, *patricios* uero omnes ueteres et genuinos ciues fuisse.

Quoniam patrum nomine a scriptoribus latinis significantur et omnes ii, qui patricii generis erant, et regius senatus uel — ubi de liberae rei publicae rebus agitur — patricia senatus pars, decernendum esse dixi, uter sensus antiquior esset. Et cum cogitarem, eorum uirorum coetum, qui aut regi in consilio essent aut maximi momenti quaedam munera per se administrarent, quam aptissime patres appellari, plane ad ueterum scriptorum sententiam hunc sensum antiquiorem esse putaui. Et quid ex primaria eius uocabuli notione de patriciis putandum sit, conatus sum statuere. Sed sunt qui alterum uocabuli *patres* sensum primarium fuisse existiment, quorum nondum examinaui sententias; immo non defuerunt, qui patres ab initio neque omnes archiciues siue patricii generis uiros neque regium senatum fuisse crederent; ii etiam quod protulerunt, hic perpendendum est.

Primo loco liceat afferre, quae de nostra quaestione docuit H. Genz libro, qui inscribitur *Das patricische Rom. Berlin 1878*, quod eius sententia ad illam Herzogii proxime accedit. *Patres* eos appellatos putat, qui singularum gentium principatum hereditate essent consecuti ("die Gentilhäupter"), ceteros uero gentiles *patricios*, quod talis patris iure essent filii [1]. Inter illos gentium patres regium senatum lectum declarat. Et quoniam docet, uniuscuiusque gentis principem iure postulare potuisse, ut inter senatores legeretur [2], tale senatus specimen confecit, quale apud Herzogium re-

[1] l. l. p. 24: "weil sie rechtmässige Söhne eines solchen *pater* sind."
[2] l. l. p. 69.

prehendimus, qui a singulis gentibus singulos uiros in regum consilium missos faceret neque curaret, eiusmodi coetus apud Romanos nullum exemplum esse. Et supra modum illo altero uitio peccat, cui et Herzogium obnoxium esse significaui. Nam dum illarum gentium instituta explicare studet, nimia audacia ultra eos fines uagatur, quos antiquorum monumentorum, quae supersunt, ipsa ratio et natura describit. Certe gentium patrum siue principum in litteris antiquis nullum uestigium seruatur. Neque uero omnia hic examinanda sunt, quae Genz opusculo suo protulit; uideamus, num ex ea parte nobis satisfaciat, unde hoc loco quaestionem nostram illustrare statueramus. Quaeritur, utrum utrauis de patriciarum gentium origine sententia conciliari possit necne cum sana illarum uocum explicatione — *patres* dico et *patricios*. Genzio principes illos, si qui fuerunt, recte suae quemque gentis patrem appellari potuisse, quis non concedat? Uerum quomodo hoc efficere potuerit, ut ceteri gentiles *patricii* appellarentur, non ita facile perspicitur. Patricios dictos esse contendit Genz quod gentis illiusmodi patri iure essent filii. Alio loco haec habet[1]: "Dass man von einem *pater* abstammt, hervorzuheben, giebt nur einen Sinn, wenn dies etwas besonderes ist, wenn dies ein Vater ist, wie ihn die Masse nicht hat." Haec non aliter intelligere possum, quam ut putem, Genzium existimare, etiam alios quam gentium principes patriam potestatem exercuisse, et clientes et patricii generis uiros, etiamsi horum patria potestas artioribus finibus esset circumscripta[2]. Quod si ita res se habet, non possum Genzio concedere, gentium principes opportune potuisse simpliciter *patres* appellari, licet optimo iure patres fuerint, neque ceteros gentiles *patricios*, ac tanto minus, quod Genz alio loco — quamuis subobscu-

[1] l. l. p. 55.

[2] Neque uidetur dubitare, quin clientis hereditatem filii eius adierint. Vide l. l. p. 17

ris uerbis — etiam clientes principum suorum patriae potestati addicit[1].

Genz non solus docuit, *patrum* et *patriciorum* nomina a patria potestate esse ducta, immo summorum uirorum auctoritate haec sententia nititur. Schwegler, Lange, Willems, Mommsen hac re inter se consentiunt. Schwegler his uerbis rem explicat[2]: "... da es nach der Rechtsanschauung des herrschenden Standes Familien im römisch-rechtlichen Sinn des Worts, mit allen Wirkungen des römischen Familienrechts, also auch *patres familias* nur innerhalb der alten Bürgerschaft gab — —, so wurde von hier aus der Name *Patres* auszeichnende Ehrenbenennung der Familienhäupter (und überhaupt der Angehörigen) der alten Bürgerschaft." Similia docent Lange[3], qui ut Schwegler *patres* primum patres familias, tum omnes patriciae gentis uiros significasse credit, et Willems[4]. Et Mommsen, postquam ciuitatem romanam certarum gentium numero confectam praemisit, his uerbis patrum patriciorumque uocabula, unde orta sint, declarat[5]: "Da der Begriff der Geschlechtsgenossenschaft auf der die väterliche Gewalt begründenden Geburt beruht, so heissen die Geschlechtsgenossen wie *gentiles*, so auch *patres*, insofern sie, und sie allein, Väter sind oder sein können, oder adjectivisch *patricii*, insofern sie, und sie allein, einen Vater haben." Cum infra considerabimus, num quae historiarum romanarum

[1] l. l. pp. 24 sq.: "*Pater familias* im eminenten Sinn war offenbar das Gentilhaupt." — — "Es lässt sich auch nicht zweifeln, dass unter dem Ausdruck *familia*, der Freie und Sklaven umfasste, auch die Clientel mit eingeschlossen werden konnte." Quamquam proxima pagina ille summus pater familias *patronus* uocatur suae gentis clientium. — Genz clientes armis subacti alicuius populi reliquias fuisse existimat (l. l. p. 18); negat autem, patricios solos ciues fuisse, et clientes quoque populi partem fuisse declarat (l. l. pp. 54 sqq.).

[2] Röm. Gesch. I p. 634.

[3] Röm. Alterth. I^3 p. 222.

[4] Le Sénat de la république romaine. I p. 9.

[5] SR III p. 13.

partes aut aliqua publica instituta hortentur, ut patricios pro antiquissimis ciuibus habeamus, id quoque cogitandi nobis occasio erit, num gentilicia iura ad patricios solum pertinuerint. Hic, ut saepius monuimus, in nominum tantum ratione perquirenda operam nostram ponemus. Quaerimus igitur, num facile credatur, alicuius terrae liberos incolas, qui soli ciuitatis essent possessores, ab aliis eiusdem terrae incolis, qui plena ciuitate carerent, eo praesertim nomine se distinxisse, quo significarent, apud se solos ea iura ualere, quibus in illa ciuitate statutum esset, quae inter patres et filios ratio esset. Mihi hoc ueri perquam dissimile uidetur. Non potest cogitari, ciues romanos se eiusmodi appellatione designaturos fuisse, ut altera uoce se a seruis distinguerent, qui communi antiquorum populorum more patres esse et patres habere negabantur[1], scilicet quod seruilia matrimonia non erant nec serui suas habere poterant familias. Sed apparet, uiros doctos, quorum supra nomina attuli, non inter liberos et seruos per *patrum* et *patriciorum* uocabula distinctum noluisse. Aliquod hominum genus in animo habuerunt, quos — quacumque eos condicione usos uolunt, siue liberos siue semiliberos eos uocamus — certe in matrimoniis uixisse putandum est. Nihil attinet, quod dicas, eorum matrimonia non iure romano rata fuisse, quoniam id ius ad aliam agri romani incolarum partem spectaret. Fieri enim non poterat, quin illa coniugia ad eas opiniones essent accommodata, quae et ciues et clientes (siue semiciues siue quo alio nomine appellandi sunt) de honesta uita et de morum sanctitate haberent. Itaque prompta uoluntas aderit, si quis credere poterit, archiciues, quod soli patres esse possent atque soli patres habere, patrum et patriciorum nomina sibi uindicasse.

Ac ne tum quidem placet haec sententia, si illa sub-

[1] Ut Plaut. Capt. 573 sq.:

"Hinc abiit Alidem
Ad patrem huius" *"Quem patrem, qui seruus est?"*

tiliore forma procedit, qua eam induit F. Bernhoeft. Qui uir doctissimus haec fere docet[1]: patricios armis agrum romanum subegisse; apud eos, ut indoeuropaeo sanguine ortos, patriam potestatem ualuisse et ob eam causam patriciorum appellationem nactos, cum originarii terrae incolae, qui non indoeuropaei essent, solum maternum genus curarent. Contra haec uaria disseri possunt. Primum commemoratum uolo, indigenas illos, a quibus plebem romanam ortam dicit Bernhoeft, ad dominorum suorum normas mores suos refinxisse putandos, ut uxor in manu mariti esset, in patria potestate essent liberi, agnationes spectarentur. Licet neque statim hoc factum sit neque impediri potuerit, quominus deuictae multitudinis quaedam instituta manerent atque etiam inter uictores propagarentur, nihilo minus tempus uenit, cum non solum aduenae indoeuropaei, sed etiam antiquorum incolarum posteri fere omnes *patricii* essent (ut hoc uocabulum eodem sensu ponamus, quem ei tribuit Bernhoeft). Dixerit quispiam, tum temporis illius uocis ueram notionem in obliuionem abisse, ut patricium nomen nihil aliud significare putaretur quam superiorem et potentiorem populi partem. Hoc quamquam primo aspectu satis probabile uidetur, si rem diligentius examinauerimus, minus uerisimile inuenietur. Nam illo uocabulo non significabatur, quae ratio inter uictores aduenas et deuictos indigenas esset, neque ullo modo illorum principatus ostentabatur. Nec respondeas fieri potuisse, ut agnationis uis et patria potestas tam insignes uictoris populi notae putarentur, ut ob eam rem aduenticii domini et deinde noua nobilitas plerumque patricii uocarentur, cuius uocis originaria notio postea sensim obsolesceret. Ut nullam causam uideo, cur uox *patricius* sensum suum mutatura fuerit, si umquam illum sensum habuisset, quem statuit Bernhoeft (cum praesertim uerba non deessent, quibus uictor populus apte designaretur), ita ipsa forma uocabuli, quod a propinquis suis, in uulgari sermone usitatissimis (*pater*, *patrius*, alia)

[1] Staat und Recht der Römischen Königszeit. Stuttgart 1882.

nihil deflexit, sine dubio plurimum contribuisset ad principalem notionem conseruandam.

Quare si Bernhoeft recte docet, populum romanum ex duabus gentibus esse conflatum, quarum una patris et mariti dominationem et agnatorum connexum coleret, altera materni stirpis propinquitates tueretur, tamen non uerisimile puto, ex hac duplici ciuitatis origine patriciorum et plebis contentiones natas esse. Neque multa attulit Bernhoeft, quibus sententiam suam confirmaret; liceat mihi ipsius uerba exscribere[1]: "Ob für die Plebejer in der ersten römischen Königszeit oder vielleicht noch später nur Verwandtschaft im Weiberstamme gegolten hat, ist nicht ganz sicher. In der auf uns gekommenen Literatur deutet der Ausschluss der Plebejer von den gentes, der Name der Patricier, durch welche sie als Vatersöhne bezeichnet werden, und die Thatsache, dass man bei den Festen der plebejischen Ceres weder seinen Vater noch seinen Sohn nennen dürfte, darauf hin." Quod plebi gentilitatem fuisse negat, hoc eum non recte fecisse, mihi persuasum est; ad eam rem infra revertar. De patriciorum nomine modo locutus sum. Quod tertio loco Bernhoeft affert argumentum, nihil ualet ad sententiam eius confirmandam. Cereris sacra graeco ritu Romae celebrabantur, quare non ad antiquissimas res romanas illustrandas adhibenda sunt. Praeterea uel id statuisse satis erit, a Bernhoeftio illum morem, quem in Cereris sacris obseruatum docet, non recte relatum esse. Nescio unde "patrem et filium" habeat. Seruium, quem auctorem affert, ita scripsit[2]: *Et Romae cum Cereri sacra fiunt, obseruatur, ne quis patrem aut filiam nominet, quod fructus matrimonii per liberos constet.* Non licet credere, hoc loco *filiam* errore librariorum pro *filium* scriptum esse. Nam ante illa uerba haec leguntur: *alii dicunt hos deos, quos commemorauit, nuptiis esse contrarios: Cererem quia propter raptum filiae nuptias exsecratur.*

[1] l. l. p. 204.

[2] ad Aen. IV, 58.

Atque praeter ipsum nomen alia res impedire uidetur, ne credamus, patricios sanguine, lingua, legibus moribusque indoeuropaeos fuisse, plebeios prorsus alio stirpe, non indoeuropaeo, esse natos. Si statuimus, populum romanum ex tam diuersis partibus commixtum esse, etiam sumendum, satis remoto tempore duo illa genera hominum in unum esse confusa, quoniam ea aetate, cuius nos aliquam notitiam habemus, duplicis originis nulla uestigia discernebantur nec ulla memoria manebat (nisi forte in Romuli fabula eius rei memoriam seruatam uelis) et patricia nobilitas regio senatui originem suam debere putabatur. Uerum haec confusio, haec elementorum inter se quam maxime hostilium exaequatio, quae non solum linguam et leges, mores et totum sentiendi modum, sed etiam ipsum uultum et corporis formam attingeret, non ultra fines admodum angustos perduci potuit, antequam statutum est, ut uictores atque dediticii illi connubio inter se uterentur. Sed quod patricii lege Canuleia plebi connubium concedere coacti sunt (nam leges duodecim tabularum in hac re nihil nouasse nunc uulgo et, ut opinor, recte negatur), si ea inter plebeios et patricios homines fuit diuersitas, quam proposuit Bernhoeft, sequitur, ut confusionem illam indoeuropaeorum et indigenarum non ante decemuirorum tempora latius propagari coepisse putandum sit. Sed hoc ita fuisse nequaquam cogitari potest, quia aliqua eius rei uestigia, si tam recens fuisset, sine dubio in antiquis litteris essent servata. Itaque quod patriciorum et plebis certamina ex indoeuropaeis uictoribus et deuictis indigenis inter se oppositis repetit Bernhoeft, hoc non recte ab eo esse excogitatum persuasum habeo[1].

[1] Prorsus alia quaestio est, num omnino diuersa matrimonii genera, uxoris condicio plus minusue libera, agnatorum cognatorumque aliis temporibus alia ratio habita per duarum gentium iura et consuetudines inter se contraria declaranda sint, ut uult Bernhoeft. Quae ad sententiam suam defendendam protulit uir doctissimus, num, ut acumine et doctrina conspicua sunt, ita ad fidem faciendam sint accomodata, non hic locus est perquirendi. Antequam ad alia transeo, haec Bernhoeftii

Nondum omnes interpretationes persecutus sum, quibus uiri docti conati sunt explicare, quo modo factum esset, ut antiquissimi ciues *patres* et *patricii* uocarentur. Niebuhr, qui primus illos ciues iis uocabulis appellatos docebat, eos patrum nomine significatos credit, aut quod clientium *patroni* essent, aut quod clientes eos uelut patres suos uenerarentur; nam ita Niebuhrii uerba intelligo, quibus dicit, ueteres ciues fortasse simpliciter honoris causa patres appellatos esse, nec minus in conciliis curiarum quam in senatu [1]. Fere idem apud Beckerum occurrit. Patrum nomine antiquos ciues clientibus opponit, ita tamen, ut uniuersos *patres* (aut *patricios*) appellatos uult, singulos patronos [2]. Constat, hanc interpretationem etiam ab antiquis scriptoribus temptatam esse, ut e. g. uidimus Plutarchum commemorare, quosdam scriptores patres ἀπὸ πατρωνείας dictos contendere. Quod si quaeritur, num satis uerisimile sit, totam ueterum ciuium multitudinem siue ἀπὸ πατρωνείας siue simpliciter honoris causa *patres* uocatos esse, hoc mihi negandum uidetur. *Patres* uix plane eodem sensu dici potuit atque *patroni;* quod illius uerbi usus latius patebat, haud facile nobis persuademus, *publico* usu patrum mentionem factam, cum de patronis ageretur. At enim forsitan omnes ueteres ciues honoris causa a clientibus patres appellati sint. Nulla uox aptior cogitari potest ad uerecundiam significandam. Sed uereor, ne haec quoque patriciae appellationis interpretatio reicienda sit. Nam id uocabulum, quo talis uerecundia et pietas indicatur, qualem filios erga parentes habere decet, aptissime ad uirorum coetum confertur, qui ob conspicuam sapientiam, uirtutem, auctoritatem ad aliquod publicum munus fungendum electi sint;

uerba afferenda sunt, quae non satis uideo, quomodo cum iis, quae praeterea docuit, conciliari possint (l. l. p. 142 adn. 17): "Der Ansicht (dass die Patricier die ursprünglichen Vollbürger sind) widerspricht einstimmig die römische Ueberlieferung und die Wahrscheinlichkeit."

[1] Röm. Gesch. I⁴ 344. Satis mirum est, quod scribit Niebuhr ibid. p. 347, *singulos* ciues et patres et patricios uocatos.

[2] Handbuch der Röm. Altert. II 1 pp. 150 sqq.

sed ad magnam hominum multitudinem ab alia et deterioris condicionis multitudine distinguendam minime est accommodatum. Etiamsi clientes patris appellatione usi sint, cum unum e ciuium numero alloquerentur, tamen non facile ea loquendi consuetudo e communi sermone in publicum usum transierit.

Quoniam in controuersia est, utrum *patres* initio senatores regiae aetatis, an omnes ueteres ciues, an denique gentium siue familiarum patriciarum principes fuerint, non inutile duxi considerare, cui rei significandae ipsa uox aptissima esset, si forte ea uia aliquid inuenire possem, quod hanc uel illam causam adiuuaret. Atque si recte rem perspexi, haec uox, ut eum sensum, quem primo loco posui, commode recipit, ita aliis interpretationibus refragatur. Et inuenisse uideor, non eodem tempore patrum nomine regios senatores et patriciorum appellatione omnes ueteres ciues designari potuisse. Sed ut ea, quae de patribus docebant annalium scriptores, cum narrandum erat, quomodo Romulus rem publicam ordinauisset, cum cauta ipsius uocabuli interpretatione congruere uidentur, ita cum eo sensu, quo eorum temporibus id uocabulum publico usu adhibebatur, plane conueniunt. Nam apparet, publicum uocis *patres* usum in eiusmodi enuntiationibus occurrere, quales sunt: *patres auctores fiunt* et *patres coeunt ad interregem prodendum;* atque inter uires doctos nostrae aetatis post multas contentiones ea sententia praeualet, quam primus Rubino [1] exposuit, cuius patrocinium tum Mommsen [2] suscepit quamque postea Christensen [3] et Soltau [4] summa cura defenderunt, cum docerent, voce *patres,* cum illo modo usurparetur, patriciam senatus partem significari. In aperto est, quanti momenti recta illarum enuntiationum interpretatio sit ad originem et naturam patriciae nobilitatis intelligendam. Et credo, doctorum uirorum, quorum nomina

[1] l. l. pp. 185 sq.

[2] Röm. Forsch. I p. 228 adn.

[3] Hermes IX pp. 196 sqq.

[4] l. l. pp. 106—226.

attuli, sententiam et satis cognitam et probatam esse. Sed si vox *patres* publico usu aliquod genus senatores significauit eademque aptissima est talis concilii appellatio, nonne iure statuimus, eam inde ab eo tempore, cum primum ad aliquod ciuitatis corpus designandum usurparetur, ad id concilium significandum positam esse, cuius quasi heres patricia senatus pars erat? Nullo negotio perspicimus, quomodo *patrum* appellatio a senatu patricio ad totam patriciam nobilitatem manare potuerit. Quoniam senatores illi, ut monuimus, recte et *patres* et *patricii* appellabantur, quique ex iis erant prognati, patricii audiebant, apud annalium scriptores in illis uerbis usurpandis confusio quaedam irrepsit, ut ambo utroque sensu ponerentur. Atque ad hunc negligentiorem scribendi usum contrahendum nescio an tanto propensiores fuerint, quod uiderunt, in ciuilibus certaminibus patricios senatores totius patriciae nobilitatis propugnaculum fuisse et utrorumque utilitates et rationes plane easdem fuisse. Haec nullam difficultatem praebent. Sed nondum hanc quaestionem relinquere possum. Nam ea sententia, quam de patribus proposui, praecipuum praesidium amissura uidetur, si demonstratum erit, interdum *publico* loquendi usu non solum patricios senatores, sed etiam omnes patriciarum gentium uiros *patres* appellatos esse. Ne longus fiam, ita rem expedire conabor, ut ea proponam et examinem, quae de hac quaestione Mommsen protulit. Credit, posteriore aetate publico loquendi usu semper *patres* patricios senatores fuisse [1]. Quod uero apud scriptores non raro patres scriptum est, ubi omnia patriciae nobilitatis res agitur, hoc ex duabus causis declarandum putat [2], cum ex patriciae nobilitatis et patriciorum senatorum societate in plebe coercenda, tum ex illo antiquiore loquendi more, quem seruauerint duodecim tabulae. Nam ut Mommsen *patres* ueterum ciuium originarium nomen fuisse uult, ita eius rei memoriam legibus duodecim tabularum seruatam decreuit. Uideamus quo

[1] SR III p. 14.
[2] Ibid. p. 15 adn. 1.

iure. Ex iis locis, quos ad uerum sensum uocis *patres* illustrandum contulit Becker [1], hos Mommsen elegit, ut qui re uera argumentorum uim haberent [2]: *Cic. de Rep.* II 37, 63: "*Connubia — ut ne plebei cum patribus essent, inhumanissima lege sanxerunt*" et *Liu.* IV 4, 5: "*hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non decemuiri tulerunt — —?*" Hos locos non magis quam eos, quos omisit Mommsen, ut Liu. IV 1: *ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus uellet, consules faciendi,* ad publicum loquendi usum referendum institutos esse, statim apparet. Neque Cicero neque Liuius duodecim tabularum uerba exprimere curauit; non dubito, quin ipsas tabulas ne adierint quidem, sed breuiter narrauerint, quod in annalibus breuiter notatum uidissent. Sed fieri potest, ut casu quodam satis accurate legis uerba reddant. Quod ita fuisse, haec Gaii uerba ostendere dicuntur, ex sexto libro seruata commentariorum eius ad leges duodecim tabularum pertinentium [3], quae uerba Mommsen, Beckerum secutus, Liuii et Ciceronis locis modo laudatis subiunxit: *plebs est ceteri ciues sine senatoribus.* Atque sic fere opinor rem sibi explicauit: Uerba Gai eiusmodi locum tabularum interpretantur, ubi *plebs* et *patres* inter se opponantur; ni ita esset, nulla omnino fuisset causa, cur senatorum mentionem faceret. Eam legem, quam de patrum et plebis conubio a decemuiris sanctam narrant Liuius et Cicero, si a Gaio enarrata est, in sexto eodemque ultimo commentariorum libro tractauit; nam constat, eam in undecima aut duodecima tabula scriptam esse [4]; quare satis uerisimile est, uerba Gaii ad eam ipsam legem spectare; quod si ita res se habet, concedendum est, uerbum *patres* interdum publico sermone patricias gentes et familias significare.

Nihil curare uidetur Mommsen, quod ante monuerat [5],

[1] Handbuch II 1 pp. 142 sqq.
[2] SR III 13 adn. 3.
[3] Dig. L 16, 238.
[4] Uide Cic. l. l.
[5] Röm. Forsch. l. l.

etiamsi hoc recte sit computatum, non statim sequi, ut illa uox ab initio eundem sensum habuerit. Sed hoc mitto, nam illa ratiocinatio, quam tentaui, non ea est, quae recte consistere possit. Nihil est, cur putemus, Gaii uerba ad legem de connubio latam spectare. Duodecim tabulae eas quoque leges habebant, quae ad ciuitatem regundam pertinerent, ut occasiones non deessent de plebe mentionem faciendi. Itaque ne id quidem cur credamus ulla causa est, in duodecim tabulis *patres* scriptum fuisse, ubi de patriciis gentibus esset dicendum. Immo si sumpserimus, Ciceronis, Liuii, Gai locos omnes eodem spectare, potius sit credendum, per legem duodecim tabularum impeditum esse, ne quis, qui cuiusue pater auusue inter patricios esset fuisset, mulierem e plebe in matrimonium duceret uirginemue, quam in sua potestate haberet, plebeio homini nubere sineret, aut eiusmodi aliquid in tabulis fuisse. Nam si Liuius errauit, non mirandum est, qui initio libri quarti, ubi de Canuleii rogationibus narrat, tam multa scripserit, quae uix ullum sensum habeant. Gaio — si tandem illa uerba de connubio inter patres et plebem prohibito loquuntur — multo plus auctoritatis tribuendum est. Ut enim putandum est, eum historiarum romanarum haud imperitum fuisse, ita certe suis ipsius oculis leges duodecim tabularum peruestigauerat. Neque ullo modo cogitari potest, eum tam caecum fuisse, ut, cum in lege inter plebem et patres distingueretur, inter plebem et senatores distinctum esse fuerit dicturus, nisi illo loco de senatoribus patriciis mentio facta esset. Uerum persuasum habeo, Gai uerba alio spectare; nam si de plebis et patrum coniugiis agit, primum concedendum est, eum minus accurate *sine senatoribus* scripsisse, cum scribendum esset *sine senatoribus eorumque familiis,* tum — quod minus uerisimile uidetur — eum existimauisse, decemuirorum aetate nullum alium senatum fuisse, quam illum patricium. Alio loco Gaius his uerbis, plebs quae sit, definit [1]: *plebis appellatione sine patriciis ceteri ciues significantur,* ut declaret, quorum iussu

[1] Instit. I 3.

plebiscita facta sint. Quod illo loco, quem supra laudauimus, aliam plebis definitionem intulit, id eum consulto, non errore ductum aut casu quodam fecisse puto. Quominus senatoribus plebs opponeretur, nihil impediebat, ac minime illo tempore, cum plebis notio uaga et ambigua esset — non est obliuiscendum, decemuirorum leges tribunis conciliisque plebis nullum in iure publico romanorum locum reliquisse. Quod si re uera is duodecim tabularum locus, quem Gai uerba interpretantur, *patres* habuit, eo meliore iure contendimus, illud uocabulum, cum in publico sermone usurparetur, patricios senatores significare. Ex hac igitur parte Rubinonis de patribus sententia confirmatur, non impugnatur. Et iis argumentis, quibus erat probandum, uoci *patres* de tota patricia nobilitate usurpatae magnam aetatem et publici usus dignitatem tribuendam esse, nullam uim inesse, iam satis demonstratum credo.

Liceat mihi hoc loco paululum subsistere et in legentium memoriam reuocare, quid hac dissertationis meae parte efficere uoluerim. Uolui ea, quae de patriciarum gentium origine ab annalium scriptoribus tradita accepimus, sola per se considerare — quae praeterea de historia et institutis populi romani cognouimus, eorum quam minime fieri posset ratione habita — ut statuerem, num ea ferrent, quae inter se cohaererent neque ratione et iudicio plane destituta essent. Postquam nihil impedire inueni, quominus nobilitatem et superiorem in re publica potentiam ita oriri potuisse putaremus, ut docebant illi patriciam nobilitatem ortam esse, conatus sum eruere, num quid in ipsa illorum narratione esset, quod nos mouere posset, ut magis ea approbaremus, quae in antiquis annalibus memoriae mandata sunt, quam quae recentiores contra eos disputauerunt. Atque credo recte contendi posse, ipsa nominum et appellationum ratione ea magnopere commendari, quae de patribus et patriciis in antiquis litteris tradita sunt, ea infringi, quae contra ueterum scriptorum auctoritatem nostra aetate sunt temptata. Si in hac re persequenda longior uisus sim, hoc mihi condonandum est. Nam quamquam haec res maximi momenti

ad quaestionem nostram diiudicandam esse uidetur, uiros doctos parum curae ei tribuisse puto.

Quod conatus sum ostendere, quae de patriciae nobilitatis origine nobis litteris antiquis tradita sunt, ea et consensu testium paene absoluto defendi et sua ipsorum non mediocri probabilitate, non me ita proposito meo satis fecisse puto. Apparet uiros doctos, cum tam acriter negarunt, patriciam nobilitatem e regis senatu gigni potuisse, non ob id praesertim ita fecisse, quod ipsorum testium fidem et integritatem aut prudentiam suspectam haberent, neque quod ipsam rem nimis implicatam aut prorsus absurdam ducerent: sed quia in iure et legibus et institutis populi Romani esse putabant, quae non declarari possent, nisi constitutum esset, patricios olim solos ciuitate romana usos esse. Iam supra duas res attigi, quas plurimum ualuisse credo ad talem opinionem excolendam. Cum uulgo existimarint, ad comitia curiata patricios tantum uiros conuenisse, et cum patrum auctoritate totius patricii nominis iudicium contineri putarint, non miramur, quod uiri docti concluserunt, patricios initio ciues fuisse, plebeios uero libertos, dediticios, aduenas, quorum ciuitas ut deterior ita tempore posterior esset. Quid de comitiis curiatis et patrum auctoritate putandum esse credam, hic non multis uerbis explicaturus sum. Ut dixi, a uiris doctis, quorum supra nomina attuli, plane probatum mihi uidetur, nulla argumenta prolata esse, cur dubitaremus, quin semper plebs illis comitiis admissa esset [1]; neque minus accurate demonstratum, patrum auctoritatem apud patricios senatores positam fuisse [2]. Ex hac parte, quod intelligam, quae annales tulerunt, non possunt impugnari. Sed supersunt, quae dubitationes mouere possint.

Atque primum mihi de gentibus romanis disputandum est: non ita ut omnino eruere coner, quid de natura et ratione earum putandum sit, quomodo constitutae sint et

[1] Uide supra pp. 3 sq.

[2] Cfr p. 51.

temporis cursu mutatae; quod ad eam rem attinet, satis erit monuisse, nunc uiros doctos ad illam ueterem sententiam uulgo reuersos uideri, quam deseruit Niebuhr [1], atque existimare, gentilium connexum e sanguinis communione ortum esse; sed utrum recte statuerint necne, gentilicia iura ad patricios solos, non ad plebem pertinuisse, si perspici possit, hoc ad quaestionem nostram soluendam quam maxime intersit. Nam si illa iura, quorum tanta erat uetustas, in illis solum ualuisse confitendum sit, nescio an non possit negari, fuisse tempus, quo ciuitas non ultra eos pateret.

Mommsen praeclarissimi libri: *Römisches Staatsrecht,* cuius iam compluribus locis mentionem feci, tertiam partem his uerbis incipit: "Die Bürgerschaft heisst den Römern ursprünglich *populus,* späterhin auch *ciuitas;* sie besteht aus einer unbestimmten Zahl von Geschlechtern, *gentes,* und jedes Geschlecht aus einer unbestimmten Anzahl theils von Freien, *patres* oder *patricii,* theils von Hörigen, *clientes* oder *plebeii,* so dass die Bürgerschaft im rechtlichen Sinn gebildet wird durch die Gesammtheit der zur Zeit vorhandenen freien Geschlechtsgenossen, der *quirites,* später *cives.*"

Quantum *genti* tribuat *Mommsen,* etiam aliis locis ostendit, uelut cum ibidem p. 9 hoc scribit: "Die Bürgerschaft wird gebildet durch eine Anzahl von Geschlechtern, und es muss jeder Bürger einer derselben als freier Mann angehören." Et hic eum locum in memoriam reuocare liceat, de quo supra locutus sum [2]: "Die Geschlechtsgenossen (heissen) wie *gentiles,* so auch *patres* — —, oder adjectivisch *patricii* —."

Quod ad ciuitatem constituendam gentilitatem tam magni ponderis fuisse declarat, dubito an huic nimiam uim assignauerit. Ad eam opinionem eo magis inclino, cum haec

[1] Niebuhr non primus negauit, gentiles ex eodem stirpe genitos esse. Ante eum Mühlenbruch eandem sententiam protulerat *(De ueterum romanorum gentibus et familiis. Rostochii 1807).* Quid de gentibus putauissent uiri docti, copiose exposuit K. Liebold dissertatione, quae inscripta est: Die Ansichten über die Entstehung und das Wesen der gentes patriciae in Rom. I. II. Progr. Meerane 1890.

[2] Uide supra p. 45.

mecum reputo, quae in eodem libro scripta sunt: "Dem Geschlecht fehlt die Handlungsfähigkeit"; et quae paulo infra occurrunt: "Die Rechtssphäre des Geschlechts ist die private" [1]. Atque priusquam ipsam rem aggredior, de qua mihi agendum est, liceat hanc animaduersiunculam addere: Non raro apud Mommsenum scriptum uidemus "gentiles", "die Gentilen", "die Geschlechtsgenossen", cum de uniuersis ciuibus loquitur, qua appellatione significari uult eos, qui omnino gentilitatis iura habuerint. Sed apud antiquos id uocabulum nusquam — opinor — illo sensu positum est; apud eos *gentiles* dicuntur, qui inter se aut cum certo homine gentilitatis uinculo coniuncti sint. "Gentilis" igitur (ut "tribulis", "curialis", alia) uerbum est πρός τί, eiusmodi uerbum, quo notetur, quae ratio inter duas uel plures personas intercedat. Neque aliter usurpatur haec uox, ubi notio eius quae sit, a ueteribus scriptoribus definitur.

Ea, quae de gentibus romanis docet Mommsen, non ita multum sparsis locis, ex antiquitatis monumentis collectis, confirmari declarat, quantum rationibus, ex penetralibus — ut ita dicam — iuris publici romanis depromptis; ut uerba eius afferam: "durch den Rechtszusammenhang" [2]. Putat — opinor — inter diuersas partes illius iuris nullam coniunctionem et conuenientiam esse posse, nisi gentes inter patricia instituta numerauerimus. Nihilo minus, quid iuris debita ratio postulet, hic omittam et totus in iis ueterum scriptorum testimoniis exigendis ero, quibus de hac re sapientiores fieri possimus. Non quod iuris doctrinam contemnam, sed ea disciplina, quae in iure publico romanorum exponendo uersatur, iis reliquiis aedificata esse debet, quibus tempus pepercit. Si antiquitatis testimonia spernuntur, falsam imaginem praebere putanda est, licet singulae res aptissime inter se cohaereant et undique tersa et expolita sit. Puto illam partium quasi harmoniam secundo demum loco esse considerandam.

Initium faciam ex iis antiquorum scriptorum dictis,

[1] Ibid. pp. 17 et 18.

[2] Uide SR III p. 66, adn. 1.

quae uideantur hortari, ut gentilicia iura non minus ad plebem quam ad patricios pertinuisse existimemus. Atque primum haud pauci occurrunt loci, ubi de gentibus plebeiis mentio fiat. Ita Cicero Verr. II, I 45, 115 haec habet: *Minucius quidam erat mortuus — lege hereditas ad gentem Minuciam ueniebat; si habuisset iste edictum, quod ante eum et postea omnes habuerunt, possessio Minuciae genti esset data.* At Ciceronis tempore Minucii plebeii erant. Alter locus hic est, ubi P. Clodium increpat (De domo sua, XIII 35): *Ita perturbatis sacris, contaminatis gentibus, et quam deseruisti et quam polluisti — factus es eius filius — cuius pater esse potuisti.* De gente Popilia, quae plebeiae originis erat, loquitur De leg. II 22: *Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra et gentem inferri fas negent esse. Idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicauit.* Et apud Uarronem haec sunt (Rer. rust. lib. I 2, 9): *eiusdem gentis C. Licinius tr. pl. cum esset — primus populum ad leges accipiendas in septem iugera forensia e comitio eduxit.*

Crederes his locis eam quaestionem, qua occupati sumus, transactam esse et plane demonstratum, gentilicia iura ad plebem pertinuisse [1]. Uerum res aliter sese habet. Mommsen enim — ut eum usque ducem sequamur — etiam inter plebem sensim gentes ortas esse concedit, sed solum paucas familias, quibus gentilitas certa uia et certis condicionibus permissa esset, in gentium modum constitutas fuisse existimat [2]. Et hanc plebeiam gentilitatem uerae gentilitatis umbram solum — ut ita dicam — fuisse uult. Quod cur statuerit, facile intelligitur. Quoniam — ut uidimus — Mommseno *patricium esse* et *gentilem esse* eandem rem significant, recte negauerit, eum, qui plebeiae gentis esset, omnino gentilicia iura habuisse; nam inter patres promoueri

[1] Alio sensu ius gentilicium ad plebem pertinuisse his uerbis dicit Mommsen (SR III p. 74): "die Allgemeinheit des Geschlechtsrecht beruht darauf, dass die Plebejer als Clienten passiv den patricischen Geschlechtern von Rechtswegen angehören sollten."

[2] SR III pp. 74 sq.

non poterat. Sic de plebeiis gentibus loquitur: "Aber es giebt auch ein plebejisches Geschlechtsrecht in dem Sinn, dass die Plebejer auf Grund des Geschlechts, welches hier häufig *gens,* technisch aber *stirps* [1] heisst, Erbschaften und Vormundschaften in Anspruch nahmen, vermuthlich auch im Gottesdienst unter pontificaler Autorität gentilicischen Sacra constituirten, da diese sich keineswegs auf die patricischen Häuser beschränkten."

Considerandum est igitur, num recte dixerit uir doctissimus, patriciam et plebeiam gentilitatem diuersae naturae fuisse. Atque ut ego sentio, patricii homines non se ob eam rem dominatum adeptos putabant, quod omnino in gentes essent descripti, sed quia earum essent gentium, quibus mos et leges maiorem in ciuitate dignitatem et potestatem tribuissent. Liceat mihi iterum in memoriam reuocare illa Mommseni uerba: "Die Rechtssphäre des Geschlechts ist die private." Eam sententiam si probauerimus, non uideo, quae gentilicia iura patricii sibi uindicare potuerint praeter illa, quorum Mommsen et plebem participem fecit; nisi quod addendum erat, plebeias gentes etiam clientelas habere potuisse. Quod si forte nobis concessum erit, ipso iure inter patriciam et plebeiam gentilitatem nihil interfuisse, altera quaestio superest, utrum gentilicia iura ad omnes ciues spectauerint, an — ut Mommseno placet — ad patricios solum et plebis aliquam partem. Quid de hac re sentiendum sit, nonnullos antiquorum scriptorum locos docere puto, quos hic sum allaturus.

Duo seruantur, ubi definitum sit, gentiles qui essent. *Paulus Diaconus* p. 94 haec tradit: *Gentilis dicitur et ex eodem genere ortus et is, qui simili nomine appellatur, ut ait Cincius: Gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur.* Alter locus est apud Ciceronem Top. 6, 29. Is cum definitionum iustam formam exemplis patefacere conatur, qui gentiles sint, ita definit: *Gentiles sunt inter se, qui eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt deminuti. Hoc fortasse satis est. Nihil enim uideo Scaeuolam pontificem ad hanc definitionem addidisse.*

[1] Plebeias gentes publice *stirpes* appellatas esse, argumento demonstratur, quod sane paruam uim habeat. Mommsen enim legentes admonet de illis Ciceronis (De orat. I, 39, 176): — "cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii eiusdem hominis hereditatem gente ad se dicerent redisse"; de quibus Ciceronis uerbis infra nobis erit locus disserendi.

Quamquam Cincii definitio non aeque accurata est atque ea, quam Scaeuolae debemus, ita comparata uidetur, ut grauiter moneat, gentilicia iura omnibus ciuibus communia fuisse. Ni ita Cincius sensisset, uix his uerbis usus esset: *Gentiles mihi sunt qui* — —. Et illi sententiae etiam Scaeuolae auctoritatem praesidio esse, persuasum habeo. Quod nulla ciuium romanorum genera secreuit, in quibus definitio sua ualeret, sumendum est, eum existimasse, omnes ciues romanos iis legibus agere potuisse, quibus gentilicia iura ordinata essent. Nullo modo licet putare, eum iam ante satis cognitum existimasse, non nisi certas familias gentilitatem sibi uindicare potuisse, quare eius rei mentionem facere non necesse esset. Quid tum opus erat dicere: *qui ab ingenuis oriundi sunt?* Quare eius definitione nequaquam eorum sententia defendi potest, qui docent, gentilitatem ad patricios pertinuisse et ad eos plebeios stirpes, qui posteriore tempore aliqua patriciorum iura consecuti essent. An eas condiciones enumerat, quibus patricii solum generis uiri satisfacere potuerint? Mommsen ita sibi uideri compluribus locis significat, ut SR III, p. 27, adn. 4, ubi scribit: "Auf das Erbrecht der patricischen Gentilen bezieht sich — — zunächst die Definition der *gentiles* bei Cicero top. 6, 29, die offenbar den Kreis der erbberechtigten Gentilen abgrenzt und genau nur auf die Patricier passt." Quod nullo modo ei concedere possum. Apparet Mommsenum hic argumento uti, quod ipsum nouum argumentum desideret; nam assumit, plebem ex maioribus non liberis originem duxisse; neque id solum, sed hanc eandem etiam Scaeuolae et Ciceronis fuisse sententiam, ei statuendum

est. Ueteres autem uulgo existimasse, plebem iam ab urbis incunabulis liberam fuisse et ciuitate usam esse, spero me satis ostendisse. Et quoniam supra uidimus, Ciceronem patres a cetero populo segregatos fecisse, ut regi in consilio essent, tanto minus licet assumere, eum, cum haec scriberet: *quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit*, audiri uoluisse, plebem primo extra gentilicias societates positam fuisse. Quare statuendum censeo, Scaeuolae definitionem non minus in plebe, et in tota plebe, quam in patriciis gentibus ualuisse. Neque, ut Mommsen eam interpretatur, satis perspicio, quomodo eam non mancam et spernendam iudicet; cum Scaeuola illas plebeias *stirpes* non curet, quorum qui consortes fuerint, uix alia quam gentilium appellatione significari potuerint.

Nondum omnia enumeraui, quae testimonio esse uideantur, plebeias familias gentilium commodis libere frui potuisse. Leges duodecim tabularum ita de gentilibus loquuntur, ut nulla causa sit, cur gentilicia iura intra fines tam artos ualuisse putemus, quam nunc uulgo contendunt. Ex iis earum legum reliquiis, quae ad hanc aetatem seruatae sunt, hi uersus talia iura exhibent: *Si intestatus moritur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto. Si agnatus nec escit, gentiles familiam habento;* et hic: *Si furiosus escit, agnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.* Quorum uersuum posterior agnatos et gentiles ita coniungit, ut summo iure statuere uideamur, unumquemque ciuem per has leges ut agnatos ita gentiles habere potuisse. Eodem modo Cicero eos coniungit, cum priores uersus commemorat De inuent. II 50: *Si pater familias intestato moritur, familia pecuniaque eius agnatum gentiliumque esto.*

Sed si leges duodecim tabularum, ut loquuntur breuiter, aliquam dubitationem reliquerint, restant testimonia, quae illam aliquantum minuant. Sunt enim loci, ubi antiqui scriptores talibus uerbis illarum legum mentionem faciant, qualibus uix usi essent, nisi cuiusuis ordinis ciuis gentiles habere potuisset — modo libero stirpe natus esset neque capite esset deminutus, ut praecepit Scaeuola.

Apud Catullum haec scripta sunt (68, 119 sqq.):

Nam nec tam carum confecto aetate parenti
una caput seri nata nepotis alit,
qui cum diuitiis uix tandem inuentus auitis
nomen testatas intulit in tabulas,
impia derisi gentilis gaudia tollens
suscitat a cano uolturium capiti.

Haec inter se non ita bene cohaererent, nisi gentilis impiam cupiditatem satis uulgarem pestem putaret poëta. Et apud Uarronem haec sunt, quae opinor ostendunt, eum credidisse, quae de gentilibus leges praecipiebant, ad uniuersos ciues spectare (R. R. I 2, 8): *duo imprimis spectasse uidentur Italici homines colendo, possentne fructus pro impensa ac labore redire et utrum saluber locus esset an non. Quorum si alterutrum decolat et nihilo minus quis uult colere, mente est captus atque ad agnatos et gentiles est deducendus.*

Attuli quae mihi argumento esse uisa sunt, gentes non inter patricia instituta numeratas esse, et transeo ad ea percensenda, quae patriciam gentilitatis originem significare uidentur aut aperte ostendere dicuntur. Leuiter tantum tangere opus est, quod quaedam gentiliciae consuetudines magis apud patricios quam apud plebeios in usu fuisse uidentur. Nam etiamsi haec uere dixerit Mommsen (SR III p. 74 adn. 1): "die Dürftigkeit der Berichte über Geschlechtsbräuche plebejischer Häuser —, verglichen mit den häufigen über die weit minder zahlreichen patricischen, ist zurückzuführen auf die geringe Entwickelung der Gentilität im Kreise der Plebs"; etiamsi haec uere dixerit, non concludendum est, gentilitatem non antiquissimis temporibus etiam apud plebem ualuisse. Sed quod ea gentilicia iura, de quibus leges duodecim tabularum loquuntur, numquam nisi raro ad usum translata putanda sunt atque temporis cursu magis magisque obsolescebant, facile intelligitur, sensim eo rem perductam esse, ut gentiles communem originem obliuiscerentur, nisi maiorum gloria et gentis nobilitate continerentur. Ita fieri non potuit, quin patricii praecipue genti-

licium connexum recordarentur. Plebeiam nobilitatem, ut posterius orta est, ita facilius in obliuionem abisse puto. Patricios uero tanto magis gentes amplexos esse necesse est, quod cum patricio genere semper certa priuilegia erant coniuncta.

Nisi fallor, Mommsen Turiae nobilissimae laudationi[1] non minimam uim inesse putat ad demonstrandum, plebeios plerumque e gentilitate fuisse exclusos. Cuius inscriptionis quae huc pertinent uerba, haec sunt uu. I 21 sqq.: "nec sub condicionem tutelae legitimae uenturam, quoius per *legem in te ius non* esset, neque enim familiae gens ulla probari poterat, quae te id facere *cogeret:* nam etsi patris testamentum ruptum esset, tamen iis, qui intenderent, *non esse id* ius, quia gentis eiusdem non essent".

Quomodo Mommsen haec uerba interpretetur, ostendit SR III p. 28 adn. 1: "In der Grabschrift auf der Turia wird von ihr gesagt, sie habe sich geweigert die Geschlechtstutel anzuerkennen, weil für ihr Haus kein Geschlechtsrecht bestehe." Eam interpretationem ante multos annos copiose explicaurat dissertatione, quae inscribitur: Zwei Sepulcralreden aus der Zeit Augusts und Hadrians[2]. Ex quo opusculo haec ante omnia uisum est hoc loco commemorare. Postquam Mommsen p. 471 haec uerba inscriptionis nostrae: "neque enim familiae gens ulla probari poterat, quae te id facere *cogeret*" ita explicauit: "ihrem Hause *(familia)* könne kein Geschlechtsrecht *(gens)* nachgewiesen werden", ibidem adn. 2 contra aduersarios, quorum exspectat reprehensiones, his uerbis se defendit, quae ne uersione mea male reddam, ita ut ab eo scripta sunt, affero: "Man würde zu einem allerdings weit weniger merkwürdigen, aber auch weit einfacheren Ergebniss kommen, wenn man die entscheidenden Worte I, 22: *neque familiae gens ulla probari poterat* nicht abstract von dem Hause, sondern concret von den angeblichen Vormündern versteht, also nicht übersetzt: 'es konnte

[1] C. I. L. VI 1527. Cfr Bruns: Fontes iuris romani[6] p. 282 sqq.

[2] Phil. und Hist. Abh. der Königl. Akad. d. Wissensch. zu Berlin 1863 p. 455 sqq.

unserem Hause kein Geschlechtsrecht nachgewiesen werden', sondern: 'es konnte von den petirenden Verwandten die Geschlechtsgemeinschaft nicht nachgewiesen werden'. Allein mir scheint es einleuchtend, dass weder die Petenten in Beziehung auf ihre angebliche Mündel bezeichnet werden können als deren *familia*, noch die Leugnung der Geschlechtsgemeinschaft zwischen bestimmten Personen richtig ausgedrückt wird mit der Wendung *gentem iis nullam esse*. Will man also nicht der Sprache Gewalt anthun, so muss man bei der ersteren Uebersetzung bleiben." Haec ex duabus partibus oppugnari posse uidentur. Primum nescio an non omnes illius loci, quae temptari possunt, uersiones attulerit Mommsen. F. Uollmer[1] recte monet, ea uerba, quae ultimo loco laudauimus: *quia gentis eiusdem non essent*, cum Mommseniana interpretatione non bene quadrare. Minus apte scriptum esse, eos, qui tutelam petebant, non eiusdem gentis esse atque Turiam, si negandum fuisset, in iis omnino gentilicia iura aliquid ualere. Itaque Uollmer hoc modo uertit: "es konnte keine gens der (sc. deiner) Familie nachgewiesen werden, *h. e. nulli agnati exstabant*". Ultima uerba non recte addidit. Si *familiae* idem ualere statuimus atque *tuae familiae*, ita locum nostrum malo interpretari: negabat Turia, eos Turios, qui tutelam petebant, cum suis Turiis, e quibus ipsa esset oriunda quorumque nemo — neque agnatus suus neque gentilis — superesset, qui tutelam peteret, ullo sanguinis et gentilitatis uinculo connexos esse. Praeter meam familiam, inquit, nulla ad eandem Turiam gentem pertinet. Huiusmodi interpretatio ad neutram earum difficultatum, quas obtenderat Mommsen, incurrit. Paulo plus fortasse momenti altera animaduersio habet, qua Huschke Mommseni de iure gentilicio praecepta refutare conatus est[2]. Locum, de quo agimus, supra ita scripsimus, ut in C. I. L. traditum est: *neque enim familiae gens ulla probari poterat.* Uerum ultimam litteram uocabuli *familiae* Mommseni coniecturae de-

[1] Laudationum funebrium Romanorum historia et reliquiarum editio. Jahrb. für cl. Phil. 18 Supplementb. p. 506.

[2] Zeitschrift für Rechtsgeschichte 1866 p. 161 sqq.

bemus. At uidendum est, num hic omnino aliqua lacuna sit statuenda, quam opus sit explere. Uerba *familia* et *gens* suo utrumque fragmento seruantur inscriptionis nostrae; iam cum ipsius marmoris haec pars disperierit nec nisi per apographa in nostram potestatem uenerit, paulo implicatior fit res. Ut quam facillime uideatur, quomodo ea fragmenta comparata sint, quae ad quaestionem nostram pertinent, utriusque paucos uersus subicio (ipsius lapidis fracturam, ut ex apographis cognosci potest, lineolis notaui; sinistra redditur fragmentum, quod C. I. L. littera a, dextra quod littera c signatum est):

Ueritate caussam communem | utata es: testamentum ruptum non esse, ut . . .
hereditate teneremus qua|m omnia sola possideres, certa qui . . .
te ita patris acta defensur|am, ut si non optinuisses, partituram cum s . . .
mares: nec sub condicio|nem tutelae legitumae uenturam, quoius per . . .
esset, neque enim familia | gens ulla probari poterat, quae te id facere . . .
nam etsi patris testamen|tum ruptum esset, tamen iis, qui intenderen . . .
ius, quia gentis eiusdem n|on essent.

Credo, qui haec inspexerit, concessurum esse, ea apographa, quibus haec lapidis pars ad nostram aetatem peruenit, nullam suspicionem mouere, qua adducamur, ut aliquam litteram inter uerba *familia* et *gens* excidisse putemus. Quae cum ita sint, uidendum est, num haec lectio *familia gens ulla* tam malae sit latinitatis, ut ob eam causam spernenda sit. Et Huschke quidem traditam lectionem defendi non posse existimat, quia nulla particula conciliata duo hic substantiua coordinentur, quod negat tolerandum. Hoc autem uitium lapicidae incuriae tribuit. Quem, cum incidere deberet *familia gensue ulla*, particulam *ue* omisisse statuit Huschke, codicillorum scriptura deceptum: *gensā ulla*. Hoc uirum doc-

tissimum acute et eleganter commentum esse, statim uidemus, nec facile aliquid melius inuenietur, si re uera in coniecturarum latum campum opus est descendere. Sed credo satius esse id retinere, quod nobis traditum est. Quod lapicida *familia gens ulla* insculpsit, uerisimile est, eum id insculpere debuisse. Quamquam illa *familia gens ulla* sine particula cumulata in nostri praesertim lapidis concinna oratione offendunt, tamen non ita exemplis carent, ut necessario reicienda sint. Et per Uollmeri dissertationem cognoui, de Rossi *familia gens ulla* recte se habere existimare [1]. Huschkii interpretatio haec est: "denn in der That konnte weder irgend welche familia (d. h. Agnaten) noch eine gens (Gentilen) nachgewiesen werden, welche Dich hätte zwingen können, unter eine solche Tutel zu kommen". Quae summopere probo, nisi quod Huschkio credere non possum, uocem *familia* ad agnatos spectare. Non uideo, cur non eam solito suo sensu praeditam censeamus, ut gentis quasi e stirpe emissum ramum significet et per eam quoque gentiles designentur. Sed hoc nihil ad rem. Mommseni de gentilitate sententiae ex hac inscriptione nullum subsidium arcessi posse, iam satis esse demonstratum confido.

Commemorauimus Mommsenum concedere, quasdam plebeias familias ad certa gentilicia iura peruenisse, sed ita ut deterioris iuris notas seruarent et publico sermone stirpes, non gentes, uocarentur. Fateor, si probari possit, publico et accurato sermone plebeias familias *stirpis* appellatione a *gentibus* patriciis fuisse distinctas, dubitari non posse, quin gentilitas ab initio aliena fuerit ab hominibus plebeiis. Sed Mommsen argumenti loco nihil praeter illa Ciceronis uerba afferre potest [2], quae scripta sunt De orat. I 39, 176: *Quid, qua de re inter Marcellos et Claudios patricios centumuiri iudicarunt, cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii pa-*

[1] Studi e docum. di storia e diritto I p. 33 sqq.

[2] Nisi pro argumento haberi uult, quod de comitiis curiatis docuit Laelius Felix (apud Gellium XV 27): "*Cum ex generibus hominum suffragium feratur, curiata comitia esse*". *Ex generibus hominum* Laelium dixisse putat, ne *stirpes* exclusi uiderentur. SR III p. 9 a. 2. Cfr ibid. p. 90 a. 5.

tricii eiusdem hominis hereditatem gente ad se dicerent redisse, nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis et gentilitatis iure dicendum? Quae uerba in hunc modum interpretanda censeo: Unus ex Marcellis seruum liberauerat. Cum post liberti mortem etiam filius eius et heres intestatus mortuus esset neque suos heredes reliquisset, manumissori hereditas erat adeunda. Sed is quoque mortuus erat nullis suis heredibus relictis. Iurisprudentium scripta non plane ostendunt, num lex post patronum agnatos eius et gentiles ad hereditatem uocauerit. Utut est, patroni gentiles hereditatem adire potuisse, uel hic locus demonstrat[1]. Forsitan patronus cum suis proximi agnati loco hereditatem adierit, et tertio loco ad eam uocati sint gentiles liberti hominis liberorumque eius, i. e. gens patroni. Nam constat libertum, quique ab eo progeniti essent, in manumissoris gente fuisse, quamquam ipsi non erant gentiles. Itaque Claudii patricii, quae bona filius libertini illius reliquerat, sibi uindicauerunt; cum gentis Claudiae fuisset, sibi hereditatem adiudicandam. Non potuerunt negare Claudii Marcelli, illos Claudiam gentem esse; sed quod omnes Marcelli uno sanguine nati essent atque stirpe inter se essent connexi, se quoque gentem esse et gentilicio iure frui oportere. Quoniam igitur iure duae Claudiae gentes essent, aequum esse, se ipsos sui clientis hereditatem adire. Sed in eo tota res erat Marcellorum, ut se gentem esse probare possent. Quid ad haec Claudiis patriciis respondendum erat? Primum, quod uideam, monere poterant, uulgato sermone non plus unam Claudiam gentem

[1] Mommsen SR III p. 427 a.: "An der Sache (ad gentem ut patroni, ita liberti hereditatem cedere) ist kein Zweifel; ob bei der Freigelassenenerbschaft das Civilrecht, und in der Klasse *unde legitimi* der Praetor die Gentilen ausdrücklich berief, ist nicht zu entscheiden." Doleo, quod Huschkii librum: Studien zur römischen Recht, ad quem Mommsen legentes delegat, non mihi contigit ut inspicerem. Gaius III 58 haec habet: *ciuis romani liberti hereditas ad extraneos heredes patroni nullo modo pertinet.* Eadem uerba occurrunt ibid. § 64. Cfr Ulp. 27: *Libertorum intestatorum hereditas primum ad suos heredes pertinet; deinde ad eos, quorum liberti sunt, uelut patronum, patronam liberosue patroni e. q. s.*" et Gai. I 165.

atque eam patriciam admitti; Marcellorum familiam gentis appellatione designari non solere; at lege *gentiles* ad hereditates uocari. Tum quod Marcelli se uno stirpe natos dicebant, id forsitan Claudii patricii concedere noluerint. Non puto eos negauisse, gentilitatem in eo positam esse, ut gentiles eodem stirpe nati essent; sed nescio an negauerint, omnino in plebeiis hominibus gentilitatem probari posse, ubi agnationum gradus in obliuionem abissent; et monuerint, quam saepe fieret, ut ab eadem domo serui liberarentur, qui post libertatem acceptam eodem nomine uterentur. Ita complures plebeias familias eiusdem nominis oriri, quae si temporis cursu seruilem originem oblitae essent, ob eam rem fingendum, omnes eodem stirpe natas et unam gentem esse? Aliam suam condicionem esse. Si quis Claudius haud dubie patricius esset, non posse dubitari, quin ad Claudiam gentem pertineret et cuiusuis Claudii, sine discrimine patricius an plebeius esset, gentilis loco hereditatem adire posset, si rerum ratio ita tulisset.

Huic interpretationi obici potest, Ciceronem, si ita res se habuisset, ut eam enarraui, debuisse scribere, et patricios Claudios et Marcellos *gente* hereditatem ad se trahere conatos esse. Sed quoniam de gentiliciis hereditatibus agebatur, hoc idem in quamlibet Ciceroniani loci interpretationem afferri potest. Cum nulla lex de *stirpium* hereditatibus loqueretur, non facile mihi persuadeo, Marcellos suam *stirpem* patriciorum Claudiorum *genti* nominatim opposuisse. Credo a Cicerone illam uocem positam esse, quod Marcelli identidem de communi stirpe suo locuti essent, quem maximi momenti esse uiderent ad ius suum obtinendum. Patriciis Claudiis gentis appellationem forsitan reliquerint, ne plus una gens Claudia esset, sed Marcellis tenendum erat, cum gentilitatem et gentilicia iura in communi origine posita esse, tum de communi origine Marcellorum non esse dubitandum.

Utut de hac controuersia iudicatur, nullo modo Mommseno concedere possum, Ciceronis uerba ostendere, eas patriciarum gentium imagines, quae apud plebem in usu essent,

publico nomine *stirpes* appellatas fuisse. Nec potest cogitari, si ita fuisset, futurum fuisse ut eius rei in iurisprudentium libris nulla mentio fieret. Ac si recte illum locum explicaui, tantum abest, ut doceat, plebem olim e gentilicio iure exclusam fuisse, ut mihi plebis causam magis defendere uideatur. Dicebant opinor patricii, se solos gentes habere; uerum non quo ipsum ius plebi deesset, sed quia in se solis gentilitas probari posset.

Atque contra tam multos litterarum latinarum locos, quibus tum plebeiae gentes commemorantur, tum gentilicii iuris ita fit mentio, ut necessario ad omnes ciues a legentibus referatur, unus — non plus unus — in testimonium citari potest, ubi prorsus negatur, plebem gentem habuisse. Scripsit Liuius (X 8): *semper ista audita sunt eadem, penes nos auspicia esse, nos solos gentem habere, nos solos iustum imperium et auspicium domi militiaeque.*

Haec uerba Liuius P. Decium dicentem facit, cum pro rogatione Ogulnia de auguribus et pontificibus e plebe allegendis contra Ap. Claudium disserat. Monet Decius, talia in patriciorum sermonibus semper esse iactata, ubicumque de nouis honoribus plebi comparandis ageretur, cum L. Sextius primus de plebe consul factus esset, C. Licinius Stolo primus magister equitum, C. Marcius Rutilus primus et dictator et censor, Q. Publilius Philo primus praetor. Cogimur igitur assumere, fuisse Liuii sententiam, patricios negasse, plebeias gentes esse, et ob eam rem plebem ad nullos honores admittendam contendisse. Non uideo, quomodo gentilitas hanc tantam uim habere potuerit, ut in ea positum esset, quis ad magistratus populi romani esset admittendus, quis repellendus. Per se clarum erat, plebeios uiros non earum gentium esse, quibus auspicia et iusta imperia reseruata fuissent; non liquet, quomodo euenire potuerit, ut eorum ad magistratus aditus difficilior fieret, si conuenisset, omnino eos gentilitate carere. Liuius hic sane confusius locutus est, quam ut contra omnia testimonia, quae supra attuli, ex eius uerbis concludere liceat, siue plebeios manifesto gentilitate caruisse, siue saltem patricios id acriter contendisse. Atque ipsius

priores libri nobis testimonio sunt, hoc loco eum inania uerba uenditare. Non moror, ab eo iis locis, ubi illos uiros suos quemque honores adeptos narrat, quamquam semper patrum iram et querimonias commemorat, tamen patricios non induci ob eam causam plebeios magistratus castigantes, quod iustum imperium consequi nequiret, qui gentilitatem non haberet[1]. Nam illis locis patrum sollicitudinem non nisi breuiter tangit. Sed ne iis quidem locis, ubi copiose de plebeiis magistratibus disputatur, lib. IV capp. 1—5, quibus Canuleiae rogationes reprehensas et defensas narrat Liuius, et lib. VI capp. 35 sqq., ubi de rogationibus Liciniis Sextiis agitur, ne iis quidem locis illa patricia sententia significatur, cuius lib. X 8 P. Decius, rogationis Ogulniae suasor, mentionem fecisse dicitur. Nulla hic uoce commemoratur, patricios declarare solitos, plebem ut quae gentilitate careret, a magistratibus populi romani excludendam. Illa igitur uerba *nos solos gentem habere* nihili sunt, neque nobis persuadere possunt, plebem umquam gente, nedum ciuitate caruisse. Atque si recte statuimus, Liuium errasse, sequitur, ut dispiciamus, quo fonte error eius defluxerit. Duas uias discernere mihi uideor, quibus ad sententiam suam deuenire potuerit. *Aut* cum apud graecum aliquem scriptorem patricios dicentes deprehenderet, et ob alias causas et διὰ γένος se solos ad magistratus obtinendos idoneos esse, hoc, quod nobile patriciorum *genus* significauerit, de *gente* eorum dictum credidit. Hic uerba illa explicandi modus ob eam rem satis placet, quod loco nostro de nobili sanguine patriciorum percommode mentio fit, et contra, quocumque modo de gentibus eorum iudicandum est, licet etiam soli gentes habuerint, nihil est, ut supra diximus, cur hoc ipso loco de ea re dicatur. *Aut* in talibus controuersiis, qualis illa inter patricios Claudios et Marcellos fuit, patricios

[1] De Licinio magistro equitum facto loquitur VI 39, de Marcio VII 17; 22, de Publilio VIII 15. Ubi de Sextio consule creato narratur, non dicuntur patricii populi suffragiis restitisse; nec mirum, cum ultimis sexti libri capitibus de rogationibus eius et de plebeiis consulatibus satis actum sit.

professos cognouerat, se solos gentem habere. Ut perspicere nequimus, qua spe commoti, cum de magistratibus pugnaretur, patricii plebi gentilitatem negauerint, ita statim uidemus, quantam, cum de hereditatibus et tutelis ageretur, utilitatem essent capturi, si plebeias gentes dissoluere potuissent. Uerum etiamsi illa uerba non ipse confinxit Liuius, non ob eam rem sumendum est, patricios negasse, quod de hereditatibus et tutelis gentiliciis leges iubebant, ipso iure etiam ad plebem spectare. Ut supra dixi in Claudiorum causa exponenda, non dubito, quin, nullas re uera agnouerint plebeias gentes, in quibus legis iussa ualerent, quoniam plebeiae familiae solito sermone non gentes appellarentur, ac minime quarum nomina etiam patriciarum gentium essent, nec, si quae gentes audire uellent, ad gentilitatem probandam nominis similitudo in plebeiis hominibus satisfaceret. Quod utrumque non sine causa satis probabili dixerint. Nam postquam gentes agros habere desierunt — si quando dominium gentium fuit, non priuatorum hominum — ad id tempus, quo plebeia nobilitas esse inciperet, satis uerisimile est, plebeios homines gentes suas non curasse, aut saltem tum demum recordatos, cum hereditates et tutelae relictae essent, quae gentilibus essent adeundae. Quod ad illam difficultatem attinet, qua plebem in gentilitate probanda laborasse existimo, liceat mihi legentes ad ea delegare, quae de hac re iam dixi. Eam autem re uera difficultatem fuisse, non a me fictam esse, Turiae laudationem ostendere puto, quae narret, tutelam eius a quibusdam hominibus esse petitam, quorum petitionem esse reiectam, cum probare non possent, se eiusdem gentis esse atque Turiam. Omnino statuendum credo, cum plebeii homines non solum tribunicia potestate, sed etiam magistratibus et sacerdotiis populi romani exornari coepti essent, plebeiam gentilitatem, ut ita dicam, resurrexisse. Qui nobili genere orti essent et ob eam rem ipsi ad honores facilem aditum haberent, suae quemque familiae summo studio deditos fuisse, clarum est. Inter eas uero familias, quae infra amplissimos ordines mansissent,

magis magisque gentilicium connexum obliuione obrutum esse, per se intelligitur.

Apparet ex iis, quae disputaui, mea sententia, gentes cum formarentur, in eo ipsam rem positam fuisse, ut omnes gentiles ex eodem paterno stirpe nati putarentur. Atque hoc semper ita fuisse credo, quamuis alia aetate alia earum fuerit condicio. Mitto quaerere, quomodo existimandum sit antiquissimis temporibus gentes fuisse institutas, cum ad meum propositum non pertineat. Non ausim negare — quamquam pro certo et probatum non est habendum — gentes aliquando in bonis suis agros habuisse, ut priuati homines agrorum aut nihil aut non nisi tenuissimas partes possiderent; et bonorum communionem effecisse, ut inter gentiles propior uitae consuetudo esset, quam quae postea discerni potest. Neque uero ob eam rem contendendum est, patriciorum et plebis discrepantia quomodo orta sit, non posse intelligi, nisi illos initio solos ciues fuisse concessum sit: scilicet quod in condicione gentium, quas in ciuitate omnes fere idem ualuisse quasque omnes admodum fortunatas fuisse putandum esset, nullum semen fuerit, unde postea ordinum diuersitas et discordiae prouenire potuerint. Nam licet olim agri in gentium possessione fuerint, non sequitur, ut in hac re ipsum munus earum positum fuerit, ipsa ratio, cur omnino gentes essent; quare facile cogitatione fingere possumus, fuisse gentes, quae agris carerent. Neque quidquam impedit, quominus illam gentium institutionem ante ea tempora interisse putemus, quibus ciuitas romana in has partes, patricios et plebem distraheretur. Quod de gentilibus in duodecim tabulis praescribitur, nihil ad illam antiquiorem gentium rationem pertinet.

In Mommseni illo libro, qui inscribitur Römisches Staatsrecht, haec uerba scripta sunt (III p. 77): "Was dafür (für die politische Zurücksetzung des Clienten oder vielmehr des Plebejers) den Ausgangspunkt bildet, das den Plebejern mangelnde Recht zu politischer Thätigkeit, sei es

zur Befragung der Götter, den *auspicia*, sei es zum magistratischen Befehl, dem *imperium*, beweist an sich schon, dass die Entwickelung der Plebs von dem mangelnden Gemeindebürgerrecht ausgeht, also der Patriciat das ursprüngliche Bürgerrecht ist."

Haec uerba ab illo Liuiano loco pendere uidentur, quem supra attuli (X 8): *semper ista audita sunt eadem, penes nos auspicia esse, nos solos gentem habere, nos solos iustum imperium et auspicium domi militiaeque.* Atque si recte intellexi, quo spectent uerba Mommseni, hoc loco Liuium docere putat, auspicia et imperium cum ipso patricio sanguine tam arte coniuncta fuisse, ut extra patriciorum numerum neque illa neque hoc tradi possent, quin ciuitas spretae religionis culpam contraheret, aut horum saltem eam fuisse sententiam; nec illum patricios superiorem potentiam defendentes induxisse, quam ipsi sibi parassent, sed de iure locutos, quod in ipsa ciuitatis ratione ac paene in rerum natura positum esset. Nam aliter non credo illa uerba quidquam ualere, cum probandum sit, plebem initio ciuitate caruisse. Neque dubito, quin Liuius uerba sua ita intelligi uoluerit. Monent alia quae ab eo ficta sunt patriciorum dicta, ut talem huic loco sensum tribuamus. Ita lib. IV c. 6 in iis contentionibus narrandis, quae circa Canuleias rogationes factae sunt, haec habet: *respondit* (plebeium consulem fieri non oportere), *quod nemo plebeius auspicia haberet, ideoque decemuiros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur. Plebes ad id maxime indignatione exarsit, quod auspicari tamquam inuisi diis immortalibus negarentur posse.* Atque lib. VI cap. 41, ubi Appius Claudius contra leges Licinias Sextias uaria disserit, haec uerba, romanarum antiquitatum studiosis percognita, occurrunt: *penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? Nempe penes patres. Nam plebeius quidem magistratus nullus auspicato creatur: nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum, quos populus creat patricios magistratus, non aliter quam auspicato creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus et priuatim auspicia habeamus, quae isti ne in magistratibus quidem habent.*

Liceat addamus, quae patricii dictitasse narrantur, postquam L. Genucius, qui primus e plebe consul suis auspiciis bellum gereret, in insidias praecipitatus et occisus esset (VII 6): *irent, crearent consules ex plebe, transferrent auspicia, quo nefas esset. Potuisse patres plebiscito pelli honoribus suis; num etiam in deos immortales inauspicatam legem ualuisse?* Hi loci aperte ostendunt, Liuium omne olim plebeium genus auspiciis et publicis et priuatis exclusum putasse, neque patriciorum nutu atque imperio, sed quia inter plebeios homines et deos populi romani nullum ut ita dicam commercium esset. Iis uerbis, quae ex IV 6 et VII 6 excerpsimus, plebeia auspicia et irrita quondam et nefaria fuisse docet. Quae VI 41 scripta sunt, etiam priuata auspicia plebi adimunt. Nam haec uerba: *et priuatim auspicia habeamus, quae isti ne magistratibus quidem habent* necessario ad auspicia priuata referenda censeo; neque uideo, cur Mommsen et Soltau[1], cum patricios olim solos talia auspicia habuisse non negent, hoc *priuatim auspicia habeamus,* ad ea auspicia referri uelint, quae fierent, cum "res ad patres redissent". Nam si patricii, cum publico munere fungerentur, priuatim se auspicia habere dixissent, miro sane sermone usi essent.

Non dubito igitur concedere, Liuium de auspiciis et imperio, quod sine auspiciis esse non poterat, ea sensisse et scripsisse, quae eorum opinioni ualde faueant, qui plebem inde ex urbis principio ciuitatem habuisse non patiantur. Sed puto posse demonstrari, eum errasse nec recte intellexisse, quid sibi uellent auctores eius, cum auspicia et imperium in patriciorum potestate fuisse dicerent.

Primum non uideo, quid plebeios homines priuatim auspicari prohibuerit. Eorum quoque res diis curae fuisse, ne patricii quidem negauerint; neque patriciis inde aliquid commodi accedere potuit, si plebeia auspicia prorsus sustulissent. Quod de auspiciis memoriae proditum est, maximam partem ad inferiorem aetatem pertinet, cum ea nulla

[1] Mommsen SR I p. 91 A. 1. Soltau l. l. p. 192.

religione colebantur, quod more maiorum ita traditum erat et inter ciuilium contentionum arma non ultimum locum tenebant. Sed fuisse tempus, quo plebeii non possent auspicari, quin nefas committerent, non adducor ut credam. Quominus rebus diuinis operam darent, non omnino interdictum erat plebeiis hominibus. Sacra eos priuata habuisse, Liuius non oblitus est, qui P. Decium cum Appio Claudio ita loquentem faciat (X 7): *castius cum sacra priuata facere et religiosius deos colere quam se?* et paulo infra: *qui deorum magis quam nostra causa expetamus, ut, quos priuatim colimus, publice colamus.*

At enim, quoniam augurum disciplina non erant imbuti, non poterant plebeii pro re publica auspicari, quin esset periculum, ne auspicia uitiis inquinarent ac perperam interpretarentur, quae a diis missa essent signa. Hoc si uerum esset dictum, nihilo magis illorum sententiae nouum argumentum accederet, qui plebem ab antiquissimi temporis ciuitate romana depellant. Id enim hominum genus, qui rem publicam soli capesserent, etiam auspicia publica curanda augurumque disciplinam sibi reseruasse, nihil est mirandum. Sed reuera magnopere dubitandum est, potuerintne patricii eiusmodi rationibus euincere, auspicia plebeiis non esse committenda. Nam si qui magistratus romanus earum rerum minus erat peritus, quae ad auspicia rite facienda et interpretanda pertinebant, nihil in mora erat, quominus augurem aut si quis alius peritus esset, arcesseret. Ita auspicia utique rite fieri poterant. Accedit altera res, quam non minimi momenti esse puto ad hanc quaestionem diiudicandam. Constat populum romanum, quamquam usus antiquos, qui cum deorum cultu coniuncti erant, pertinaciter conseruabat, tamen satis magna facilitate alienos deos, nouos cultus nouasque caerimonias admisisse et quasi ciuitate donasse. Et auspiciorum quidem cum tot genera essent, uerisimilie uidetur, alia aliis temporibus accessisse neque ex uno radice omnia originem duxisse. Immo ad quaedam signa interpretanda non augurum disciplinam adhibitam esse ac ne romanam quidem sapientiam, sed sibyllinas sortes et etruscos haruspices esse consultos, quis est qui nesciat? Quare non uideo, quomodo fieri potuerit, ut plebeiis solis deorum uoluntas et futurarum rerum praesagitio prorsus occlusa existimaretur — ut iis auspicia et cum his imperium essent detinenda. Et ob hanc quoque rem, quae apud Liuium occurrunt de auspiciis declamationes patriciorum, malo ipsius incuriae et inscientiae tribuere quam ueris et recte intellectis antiquioris aetatis testimoniis.

Tum ad eandem sententiam etiam hac uia peruenimus. Etiamsi patricii soliti essent contendere, plebeia auspicia nefaria esse, tamen eius rei ad Liuii aetatem non facile ulla memoria seruari potuit. Nam ut primum auspicia et imperium plebeio uiro commissa sunt, nullus eiusmodi querelis locus relictus erat. Postquam patres auctores fuerunt comitiis, quae plebeii generis magistratum creauerant, illam superbam de auspiciis sententiam si omnino habuissent, coacti essent deserere, nisi se impio scelere implicatos concedere uellent. Patricios autem magistratus quo tempore primum adepti sint plebeii homines, pro certo non potest affirmari. Constat fastos consulares iam paucis annis post reges exactos plebeia nomina praebere, sed quoniam de fastorum auctoritate dubitatur, faciamus, multo posterius id factum esse. Uerum quamnis incerta sint, quae de decemuiris illis et de ea aetate tradita sunt, quo tribuni militum consulari potestate creabantur, tamen non est, cur minus annalibus credamus, iam ante leges Licinias Sextias plebeios uiros ad imperium et auspicia publica peruenisse. Quae cum ita sint, frustra circumspicio, quomodo ad Fabii tempora seruari potuerit memoria illius de auspiciis sententiae, cuius Liuius compluribus locis mentionem fecit.

Denique Liuius solus — nisi fallor — illa patricia nobilitatis postulata protulit, neque alibi patricii profitentur, fore ut auspicia publica vitiosa fiant et maculentur, si a plebeiis hominibus tractata sint. Quare facere non possum, quin existimem, Liuium non recte intellexisse, quod apud auctorem suum inuenerat, et illius uerba, cum refingenda essent, etiam nouo sensu induisse.

Quid igitur ab annalium scriptoribus traditum existimemus, quod Liuius, cum in patriciorum orationibus exponendum esset, ita immutauerit, ut de auspiciorum natura noua sententia prodiret? Credo rem satis claram esse et patricios eodem sensu dictitasse auspicia et imperium sua esse, quo dicebantur *auspicia ad patricios redire,* cum magistratus curules deerant ad rem publicam gerendam. Liuii igitur errorem in eo positum puto, quod, cum auctor eius de patriciis loqueretur, non perspexerit, non totam patriciam prolem significari, sed eos, qui plerumque *patres* appellabantur. Non negauerint patricii, auspicia et imperium plebeiis uiris recte committi; sed contenderint, suo arbitrio permissum esse, utrum ita futurum esset, necne; non esse satis, si quis a populo magistratus creatus esset atque etiam a magistratu renuntiatus; nullum magistratum esse posse populi solum suffragiis et magistratus renuntiatione sine patrum auctoritate; nam in patrum potestate auspicia et imperium esse nec patribus inuitis cuiquam impertiri posse.

Constat inter omnes, patres olim potestatem habuisse impediendi, quod populus comitiis constituisset, siue legem iusserat, quae illis molesta esset, siue magistratum fecerat, qui minus placeret. Itaque in magistratibus creandis partem aliquam ad eos pertinere, non poterat negari. Uerum non deerant iustae causae, cur etiam summam rei in se positam esse affirmarent, non in populo siue eo magistratu, qui comitia haberet. Quod res ad patres redibant, quotienscunque nullus erat patricius magistratus, concludendum erat, cum magistratibus auspicia et imperium traderentur, ex patribus ea deduci. Existimabant posterioris aetatis scriptores, summum imperium, cum reges exacti essent, statim ad magistratus populi romani esse delatum. Ita Liuius (II 1) *Omnia* inquit *iura* (regum), *omnia insignia primi consules tenuere.* Sed credo illis locis Liuianis, quos supra exscripsi, uestigia seruari antiquioris sententiae, qua patricii nisi plebis impetus propulsare conati sint. Patres, qui interregum appellatione etiam nomen regni in memoriam reuocabant, pro regum heredibus se gessisse et re uera fuisse mihi persua-

sum est. Immo, quamquam negare non ausim, *patres,* qui liberae rei publicae senatus una pars essent, ut uoluerunt antiqui scriptores, regios senatores fuisse, tamen eos post reges exactos non magis in senatorum officiis fungendis, quam in re publica regenda praecipuum suum munus posuisse credo. Nam ita demum declarari puto, quomodo interregna exercere, leges impedire, magistratûs reicere potuerint.

Ad eandem sententiam duci uideor, si considero, quae prima fuerit condicio magistratuum romanorum. Liberae rei publicae ultimis saeculis ad magistratus notionem efficiendam populi suffragia necessaria fuerint[1]; iis ut fundamento suo potestas magistratuum nisa sit. Sed antiquitus hoc aliter fuisse uidetur. Nam dictatorem, qui initio magister populi appellatus esse dicitur[2], et magistrum equitum a magistratuum numero excludere ipsa nomina prohibent. Ergo ex hac quidem parte nihil impedit, quominus magistratuum imperium non primarium et ut ita dicam ex se natum, sed ab alieno imperio deriuatum existimemus. Atque magistratus populi romani non ipsius regis, sed ministrorum eius successores fuisse, qui regio mandatu certa negotia obirent, exercitui praeessent aut ius dicerent, quibusdam rebus ostendi credo, quae magistratibus propriae erant. Ex regiae enim aetatis rebus declarandum puto, quod, cum magistratus summae rei praefecti essent, plerumque a collegis imperium exercebatur. Nam illam institutionem totam e consilio et prudentia profectam esse uirorum, rei publicae regendae peritorum, parum probabile censeo. Ad regium imperium minuendum satis erat, si breuiore temporis spatio circumscriptum esset. A rege ad quaedam munera exsequenda uiros lectos esse, qui certo tempore et intra certos fines regii imperii uice fungerentur, non potest dubitari. Ita duo magistratus tantundem imperii habere poterant. Illa regni instituta et mores etiam liberae rei publicae temporibus retenta esse, et magistratuum potestate sensim aucta factum esse, ut summum imperium pariter apud duos uel plures

[1] Uide Mommsen SR I pp. 8 sqq.

[2] Cic. de rep. I 63. Uide praeterea Madvig l. l. I pp. 396 sq.

Quid igitur ab annalium scriptoribus traditum existimemus, quod Liuius, cum in patriciorum orationibus exponendum esset, ita immutauerit, ut de auspiciorum natura noua sententia prodiret? Credo rem satis claram esse et patricios eodem sensu dictitasse auspicia et imperium sua esse, quo dicebantur *auspicia ad patricios redire,* cum magistratus curules deerant ad rem publicam gerendam. Liuii igitur errorem in eo positum puto, quod, cum auctor eius de patriciis loqueretur, non perspexerit, non totam patriciam prolem significari, sed eos, qui plerumque *patres* appellabantur. Non negauerint patricii, auspicia et imperium plebeiis uiris recte committi; sed contenderint, suo arbitrio permissum esse, utrum ita futurum esset, necne; non esse satis, si quis a populo magistratus creatus esset atque etiam a magistratu renuntiatus; nullum magistratum esse posse populi solum suffragiis et magistratus renuntiatione sine patrum auctoritate; nam in patrum potestate auspicia et imperium esse nec patribus inuitis cuiquam impertiri posse.

Constat inter omnes, patres olim potestatem habuisse impediendi, quod populus comitiis constituisset, siue legem iusserat, quae illis molesta esset, siue magistratum fecerat, qui minus placeret. Itaque in magistratibus creandis partem aliquam ad eos pertinere, non poterat negari. Uerum non deerant iustae causae, cur etiam summam rei in se positam esse affirmarent, non in populo siue eo magistratu, qui comitia haberet. Quod res ad patres redibant, quotienscunque nullus erat patricius magistratus, concludendum erat, cum magistratibus auspicia et imperium traderentur, ex patribus ea deduci. Existimabant posterioris aetatis scriptores, summum imperium, cum reges exacti essent, statim ad magistratus populi romani esse delatum. Ita Liuius (II 1) *Omnia* inquit *iura* (regum), *omnia insignia primi consules tenuere.* Sed credo illis locis Liuianis, quos supra exscripsi, uestigia seruari antiquioris sententiae, qua patricii nisi plebis impetus propulsare conati sint. Patres, qui interregum appellatione etiam nomen regni in memoriam reuocabant, pro regum heredibus se gessisse et re uera fuisse mihi persua-

sum est. Immo, quamquam negare non ausim, *patres,* qui liberae rei publicae senatus una pars essent, ut uoluerunt antiqui scriptores, regios senatores fuisse, tamen eos post reges exactos non magis in senatorum officiis fungendis, quam in re publica regenda praecipuum suum munus posuisse credo. Nam ita demum declarari puto, quomodo interregna exercere, leges impedire, magistratus reicere potuerint.

Ad eandem sententiam duci uideor, si considero, quae prima fuerit condicio magistratuum romanorum. Liberae rei publicae ultimis saeculis ad magistratus notionem efficiendam populi suffragia necessaria fuerint[1]; iis ut fundamento suo potestas magistratuum nisa sit. Sed antiquitus hoc aliter fuisse uidetur. Nam dictatorem, qui initio magister populi appellatus esse dicitur[2], et magistrum equitum a magistratuum numero excludere ipsa nomina prohibent. Ergo ex hac quidem parte nihil impedit, quominus magistratuum imperium non primarium et ut ita dicam ex se natum, sed ab alieno imperio deriuatum existimemus. Atque magistratus populi romani non ipsius regis, sed ministrorum eius successores fuisse, qui regio mandatu certa negotia obirent, exercitui praeessent aut ius dicerent, quibusdam rebus ostendi credo, quae magistratibus propriae erant. Ex regiae enim aetatis rebus declarandum puto, quod, cum magistratus summae rei praefecti essent, plerumque a collegis imperium exercebatur. Nam illam institutionem totam e consilio et prudentia profectam esse uirorum, rei publicae regendae peritorum, parum probabile censeo. Ad regium imperium minuendum satis erat, si breuiore temporis spatio circumscriptum esset. A rege ad quaedam munera exsequenda uiros lectos esse, qui certo tempore et intra certos fines regii imperii uice fungerentur, non potest dubitari. Ita duo magistratus tantundem imperii habere poterant. Illa regni instituta et mores etiam liberae rei publicae temporibus retenta esse, et magistratuum potestate sensim aucta factum esse, ut summum imperium pariter apud duos uel plures

[1] Uide Mommsen SR I pp. 8 sqq.

[2] Cic. de rep. I 63. Uide praeterea Madvig l. l. I pp. 396 sq.

esset, qui in regum locum successisse uiderentur, uerisimilius mihi uidetur, quam statim post reges exactos totum ciuitatis ordinem plane nouum institutum esse. Sed iam patrum, non regum, imperium et auspicia magistratibus mandata esse, sumendum est. Et ob eam ipsam rem populi romani magistratus, nullo discrimine patricii an plebeii sanguinis essent, patricios magistratus appellatos existimo[1].

Quae causa fuerit patriciis, cur in ciuilibus contentionibus identidem monerent, sine patrum auctoritate nullum magistratum esse posse, facile erui credo. Nihil impedit, quominus plebeium consulem populi suffragiis creatum et a magistratu, qui comitia haberet, renuntiatum eo tempore putemus, quo plebeiorum uiribus perpetuo crescentibus patricii in principatu suo defendendo languidiores esse coepissent. Quod postquam factum est, statim contentionem ortam esse necesse est inter plebem et eos patricios, qui a maioribus accepti iuris nihil remittere uellent. Contenderit plebs, quemcunque creasset populus, eum consulem esse, siue patres auctoritatem suam indulsissent, siue negassent; patricii responderint, sua esse imperium et auspicia nec sine suo assensu a comitiis cuiquam tradi posse. Quarum contentionum unum saltem exemplum seruari uidetur. Nam postquam Liuius rogationes Licinias Sextias acceptas narrauit, ita pergit (VI 42): *et comitia consulum aduersa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus consul factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit. Quia patricii se auctores futuros negabant, prope secessionem plebis*

[1] Quod assumpsi, regem eandem potestatem duobus uel pluribus uno tempore mandasse, haec res nulla credo explanatione eget. Herzog de duobus consulibus aliter sentit (l. l. p. 127): Es widerstreitet nicht bloss der Tradition sondern auch dem in der Intercession klar ausgesprochenen Wesen der römischen Kollegialität, wenn man geschichtliche Motivierung dieser Einrichtung sucht und nicht vielmehr anerkennt, dass das darin aufgestellte Prinzip, man mag über seine Zweckmässigkeit denken wie man will, ein neuer eigentümlicher politischer Gedanke war, der mehr als alles andre für den überlegten Charakter dieser Verfassungsänderung spricht und damit auch Zeugnis ablegt für die Art des Zustandekommens.

res — — — uenit. Et nescio an pro eiusdem controuersiae uestigio habendum sit, quod quibusdam annis nulli omnino erant consules et tribuni militum consulari potestate instruebantur. Omnino de hoc certamine fere nihil memoriae proditum est. Ita nescimus, utrum etiam id ius impugnatum sit necne, quod in nominibus candidatorum accipiendis aut reiciendis et in renuntiatione eorum, qui creati erant, magistratuum arbitrio tam multum permisit. Sed quod ad patrum auctoritatem attinet, satis cognitum est, plebem re uictoriam reportasse, et patriciis umbram solum relictam esse pristini iuris, siquidem, cum haec controuersia componeretur, statutum est, ut priusquam populus suffragium iniret, in incertum comitiorum euentum patres auctores fierent.

Si recte ea iudicaui, quae a Liuio de patriciis auspiciorum et imperii possessoribus tradita sunt, non ob eam rem plebeii uiri a consulatu obtinendo erant exclusi, quod ad tales honores gerendos prorsus non essent idonei — et ut ego opinor ne ob eam quidem causam, quod per leges eius generis hominibus ad magistratus nullus esset accessus — sed quia patres auctoritate sua negata aut concessa magistratus alienis detinere, suis reseruare poterant. Nolo igitur concedere, illos Liuii locos, quos modo tractaui, ad eorum sententiam confirmandam quidquam ualere, qui doceant, patricios initio solos plena ciuitate usos esse.

Ex iis, quae de auspiciis disputaui, apparet, connubium inter patricios et plebem mea sententia non — ut ait Liuius — a decemuiris diremptum esse, quod altera tantum pars auspicia haberet[1]; sed credo inter patricios et plebem connubium illorum cura legibus impeditum, ne patricia iuuentus nobilem suum sanguinem plebeiis et humilibus matrimoniis inquinaret. Quos nobilissimarum gentium fastus ut intelligere possimus, non opus est statuere, patricios aliquando solos cives fuisse; satis eorum superbiae reliquimus loci, si patriciam dignitatem ita fere ortam putamus, ut ipsi

[1] Liu. VI 6. Cfr Mommsen SR I p. 89 adn. 1.

uoluerunt, et statuimus, *patres* e principio publici consilii aliquod genus fuisse, senatui liberae rei publicae satis simile, quod praeter munera haud dubie senatoria per longa temporum spatia aliquas regii imperii particulas retineret; atque patriciam nobilitatem ex illis genitam esse.

Hoc loco duas res commemorare liceat, quae non plane sint omittendae, cum de antiquissima patriciorum condicione quaeratur.

Communis opinio est multorum et doctorum uirorum, eum matrimonii conficiendi modum, qui confarreatio uocabatur, inter patricios solum in usu fuisse nec umquam plebeiis hominibus permissum esse [1]. Uideamus, quae antiquorum scriptorum testimonia pro illa sententia afferri possint. Gaius ita de confarreatione loquitur (I 112): *quod ius etiam nostris temporibus in usu est: nam flamines maiores, id est Diales, Martiales, Quirinales, item reges sacrorum, nisi qui ex farreatis nati sunt, non leguntur: ac ne ipsi quidem sine confarreatione sacerdotium habere possunt.* Neque ultra haec cetera antiquitatis testimonia [2] aliquid luminis quaestioni nostrae afferunt. Quid postea? Constat ad illa sacerdotia numquam plebeios uiros admissos esse; et quoniam nusquam plebeio marito uxor confarreatione in manum conuenisse narratur atque confarreationis mos eo tempore, cuius res admodum cognouimus, magis magisque in desuetudinem abisse uidetur, ut Tiberii temporibus uix esset copia eorum, qui flamonia maxima obtinere possent [3], non se nimia audacia agere crediderint, si illum nuptiarum contrahendarum modum patriciis reseruarent, cum praesertim confarreatio, quam pontifice maximo et Diali flamine praesentibus fieri oporteret [4], in uulgato usu esse non potuisset. Haec quamquam satis multum ponderis habere uidentur,

[1] Mommsen SR III p. 79. Soltau l. l. p. 650. Bernhœft l. l. pp. 185 sqq.

[2] Quae collata sunt Lange l. l. I³ p. 116 adn. 1 et Huschkianae Gai editionis adn. ad I 112.

[3] Tac. Ann. IV 16.

[4] Seru. comm. in Virg. Georg. I 31.

tamen sunt quae dubitationem meam moueant. Non intelligo, quomodo fieri potuerit, ut neque Gaius neque alius quisquam ueterum scriptorum, si patriciis solis confarreatione uti concessum esset, huius rei nullam mentionem facerent. Eamne non memoratu dignam existimauerunt? An nescierunt, quod de confarreatione plurimum interesset scire? Hoc antiquorum scriptorum silentium mihi tantum ualet, ut mea quidem sententia, si nulla alia re quam illorum testimoniis ducamur, non sit, cur plebeios homines neque iure neque more a confarreatione prohibitos putemus. Sed etiam hoc considerandum est. Non solum confarreatione, sed etiam alio genere nuptiarum, coemptione, uxor statim in manum mariti conueniebat. Unde hoc alterum genus ortum esse existimemus? Potest res ita declarari, ut constituamus, cum uir e plebe initio uxorem suam in manu habere non posset nisi per usum, nouum nuptiarum modum quaesitum esse, quo statim filiae loco esset, uelut patricia uxor per confarreationem in uiri manum cederet. Itaque coemptiones fieri coeptas esse. Non nego, rem ita explicari posse, quamquam miror, cur plebeios, si iis in matrimoniis contrahendis idem iuris concessum sit atque patriciis, non etiam ad eadem nuptiarum genera admissos liceat putare. Sed necessario eiusmodi coemptionis originem statuendam esse, non concedo. Ut confarreandi morem principatus temporibus propter caerimoniarum difficultates paene abolitum esse traditum est, ita satis maturo tempore tali nuptiarum genere opus fuisse necesse est, quod, cum idem iuris uiro ferret, non tantis incommodis esset implicatum. Quod sine pontificis maximi et flaminis Dialis opera confarreatio non posset perpetrari, sequebatur, ut uir et femina, quibus Romam ueniendi deesset facultas, non possent confarreari. Cum in hac re satis causae fuerit, cur nouus crearetur nuptiarum modus, quo uxor in manum mariti traderetur, nolo confarreationem et coemptionem ad patricii et plebeii iuris antiquam dissimilitudinem referre.

Eodem modo de testamentis priuatis iudicandum censeo, quae Mommsen orta esse suspicatur, quod plebeiis, qui

olim ad comitia non admitterentur, in iis testamentum facere non liceret [1]. Hoc uere computatum esse, non is negabit, qui pro certo et probato habeat, testamenta initio populiscitorum aliquod genus fuisse et plebem aliquando comitiorum non fuisse participem. Sed ut hoc loco plebis tantum condicionis rationem habeamus, si quis plebeios semper in ciuium numero fuisse existimat, non ob eam rem ei laborandum est, quomodo testamenta priuata orta putet. Nam ad hoc testamentorum genus quomodo ortum sit declarandum, tales plane sufficiunt causae, qualem unam his uerbis praebet Gaius (II 102): *qui neque calatis comitiis neque in procinctu testamentum fecerat, is si subita morte urguebatur, amico familiam suam, id est patrimonium suum, mancipio dabat, eumque rogabat, quid cuique post mortem suam dari uellet.* Per se intelligitur, eius testamenti permagnum fuisse desiderium, quo etiam ei facultas daretur de sua familia decernendi, qui aut comitia exspectare non posset aut Roma longius abesset.

Neque nuptiarum igitur neque testamentorum ratio eorum mihi probabiliorem facit sententiam, qui plebem ciuitate olim caruisse praedicent.

Qui ei quaestioni soluendae operam dat, qua occupati sumus, et exquirere studet, num patricii et plebeii diuersis ciuitatis generibus usi sint, ei non licet praetermittere, quid de clientibus et clientela putandum sit. Nam si omne clientelae genus, quod quidem recte ita uocabatur, initio infra ciuitatem positum fuisse statuimus, uereor, ne iam non possit negari, plebeiorum ciuitatem posterioris aetatis et deterioris iuris fuisse.

Quicumque uel leuiter in iis rebus uersatus est, de quibus agimus, percognitum habet, de clientium condicione cum uariae doctorum uirorum enuntiatae sint opiniones, in duas tamen classes eas distribui posse. Eorum enim, qui de his rebus scripserunt, alii plebis iura ex clientelae anti-

[1] RS III p. 78.

quissima condicione orta censent [1], alii inter clientes et plebem distinguunt, his uerbis diuersa iura et duo hominum genera significari rati [2].

Ut recentiorum de clientela sententiae inter se differunt, ita etiam apud antiquos scriptores duae de ea opiniones occurrunt, sed ita, ut ab iis aeque multum fidei utrique tributum uideatur.

Cicero his uerbis clientelae originem narrat (De rep. II 9): *habuit* (Romulus) *plebem in clientelas principum discriptam.* Etiam Festi testimonium audiamus (p. 233): *Patrocinia appellari coepta sunt, cum plebs distributa est inter patres, ut eorum opibus tuta esset.* Dionysius denique (II 9) et Plutarchus (Rom. 13) eodem modo totam plebem patriciis clientium loco addictam faciunt. Quare opinor statuendum est, hanc uulgatam antiquorum scriptorum sententiam fuisse, et Liuium magis incuria eam praeterisse quam aut non cognouisse aut non ueram putasse. Antiquissimorum igitur annalium scriptores hoc narrauisse uidentur. Sed quoniam neque e suorum temporum rebus concludere potuerunt, totam olim plebem in patriciorum clientelis fuisse, nec perspici potest, quo narrationum genere de hac tam uetusta re edocti sint, patricios uiros patronos, plebeios clientes ideo factos credo, quia patrocinia et clientelae inter Romuli instituta essent afferenda. Qui cum populum pluribus modis discripsisse narraretur, factum est, ut etiam cum patrocinia et clientelae instituerentur, populum nouo diuisionis genere in duas partes distribuisse uideretur. Nullam igitur populi partem a scriptoribus extra patronorum et clientium numerum relinqui consentaneum erat. Atque cum utrorumque officia spectarentur, fieri non poterat, quin illorum partes patriciis, horum plebeiis hominibus tribuerentur.

Neque uero haec opinio de tota plebe patriciorum fidei addicta apud ueteres magnopere inueterata fuisse uidetur. Quomodo factum sit, ut Romae existerent homines, qui

[1] Quorum Mommsen principatum tenet.
[2] Niebuhr, Göttling, Becker, Schwegler, Lange, Genz, Herzog.

neque patroni essent neque clientes, de ea re tacent; sed plebem et patriciorum clientes, quae eiusdem rei duo nomina erant, subito plane diuersas partes agentes et diuersa consilia secutos deprehendimus.

Eae narrationes, quibus ceterae plebi patriciorum clientes opponuntur, a Dionysio et Liuio seruantur. Ita post primam plebis secessionem narrat his uerbis Dionysius, patricios sese ad urbem clientium auxilio defendendam parasse: ἔπειθ' ὡς ἐξ ἑνὸς παρακελεύσματος ἁρπάσαντες τὰ ὅπλα σὺν τοῖς οἰκείοις ἕκαστοι πελάταις, οἱ μὲν ἐπὶ τὰς ὁδοὺς — — παρεβοήθουν, οἱ δ'ἐπὶ τὰ φρούρια — — ἐξῄεσαν. Apertius a plebe segregantur patriciorum clientes VII 19: ἀλλ' ἐκ τῶν πατρικίων ἐθελονταί τινες κατεγράφησαν ἅμα τοῖς πελάταις, καὶ αὐτοῖς ἐξιοῦσιν ὀλίγον τι ἀπὸ τοῦ δήμου μέρος συνεστράτευεν. Huic loco similis est X 43: συνελθοῦσα γὰρ ἡ βουλὴ γνώμην ἀπεδείξατο, τοὺς πατρικίους ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξιέναι σὺν τοῖς ἑαυτῶν πελάταις, τῶν δ'ἄλλων πολιτῶν τοῖς μὲν βουλομένοις μετέχειν τῆς στρατείας ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς πατρίδος γινομένης ὅσια εἶναι τὰ πρὸς θεούς, e. q. s. Praeterea multis locis ad eundem modum loquitur. Liuius quoque — ut iam significaui — patriciis clientibusque eorum discordias cum plebe fuisse narrat. Ita II 64 *irata plebs*, inquit, *interesse consularibus comitiis noluit: per patres clientesque patrum consules creati T. Quinctius Q. Seruilius.* Alio loco clientes plebis partem facit (V 32): *qui* (Camillus) *die dicta ab L. Apuleio tribuno plebis — — — cum accitis domum tribulibus et clientibus, quae magna pars plebis erat, percunctatus animos eorum, responsum tulisset, se collaturos quanti damnatus esset, absoluere eum non posse, in exilium abiit* e. q. s. Uidimus igitur et a Dionysio et a Liuio clientes patriciorum tum in plebeiorum numerum referri, tum ab iis distingui. Sed nescio an hoc lapsu tantum fiat et illud rem, ita ut eam finxerint, exhibeat. Nam qui de clientela instituenda narrant scriptores, nullos commemorant clientes, nisi qui ad plebem pertineant. Praeterea quae Liuius et Dionysius narrant, non ex omni parte inter se congruunt. Ille enim nusquam memorat, patricios separatim cum clien-

tibus suis in bellum exisse; ne in Fabiorum quidem expeditione narranda, clientibus aliquam partem tribuit. Contra Dionysius nusquam respicit, quae utilitas per clientium suffragia patriciis parari potuerit.

Quaerendum est igitur, quantum hi et alii eiusmodi Liuii et Dionysii loci ualeant, utrum antiquiorum scriptorum commenta solum, an ueram actorum temporum memoriam praebeant. Ac statim in oculos incurrit, de talibus rebus non facile ullam narrationem ad ea tempora peruenire potuisse, quibus ad historiam scribendam sese conferebant romani uiri. Nam qui antiquissimae populi romani historiae fontibus quam plurimum tribuere uelit, nonne ei statuendum est, summorum magistratuum nomina, leges, foedera litteris esse commissa, sed praeterea fere nihil et ea solum, quae summi momenti essent? Ob eam rem illis locis nihil, ne minimum quidem fidei dandum existimo. Ac si quis patriciorum et clientium communem militiam tam magnam rem existimat, ut nihil sit mirandum, si eius memoria seruata sit, meminisse oportet, et Dionysium solum eius generis bella commemorare, neque deesse argumenta, quibus probari possit, eum falsa et quae posteriore aetate conficta sunt tradere. Liuius enim Fabiorum fabulam ita narrat, ut dicat *sex et ccc milites, omnes patricios, omnes unius gentis contra Ueientes profectos* (II 49). Dionysius uero non se intra illum numerum continet et eam rem hoc modo exponit: ἡγεῖτο δὲ αὐτῶν Μάρκος Φάβιος ὁ τῷ παρελθόντι ὑπατεύσας ἔτει καὶ νικήσας τοὺς Τυῤῥηνοὺς τῇ μάχῃ, τετρακισχιλίους μάλιστα ἐπαγόμενος, ὧν τὸ μὲν πλεῖον πελατῶν τε καὶ ἑταίρων ἦν, ἐκ δὲ τοῦ Φαβίων γένους ἓξ καὶ τριακόσιοι ἄνδρες (IX 15). Non hic in eo res uertitur, utrum magis credendum sit, trecentos homines an quattuor milia in bellum profectos; sed utrum Liuii narratio an Dionysii ex antiquiore fonte hausta putanda sit. Ac mihi multo uerisimilius uidetur, Dionysium aut ipsum traditum numerum amplificasse, quod eum Fabiorum muneri non suffecturum fuisse existimaret, aut auctore usum esse, qui ob eandem causam originariam fabulam mutauisset,

quam Liuium aut negligentia aut breuitatis studio commotum clientes omisisse, quamquam ab auctore eius eorum mentio esset facta. Quod Liuium fecisse tanto minus credimus, quia aperte dicit, nullum umquam minorem exercitum exisse et Fabios egredientes a cognatorum sodaliumque turba ad portam deductos facit. At enim clientes et ab aliis scriptoribus Fabios secuti dicuntur [1]. Esto. Sed nihil in mora est, quominus et hos deterioribus fontibus usos iudicemus. Accedit quod de sex et trecentis Fabiis non dubitatum esse uidetur. Clientium uero numerus, qui credo a Dionysio tantum et Festo siue potius epitomatore eius libri traditus est, non idem apud ambos occurrit. Nam Paulus p. 335 docet, sex et trecentos Fabios cum clientium milibus quinque aduersus etruscos egressos. Quare mihi persuadeo, eos scriptores, qui clientium mentionem fecerint, eorum numerum ratiocinatione quadam finxisse, non a maioribus accepisse. Atque omnino de patriciorum et clientium communibus expeditionibus eodem modo iudicandum censeo. Quod uero Liuius patricios in comitiis clientium suffragiis adiutos facit, credo eum ita declaratum uoluisse, quomodo factum esset, ut patricii non statim abundante plebeiorum numero obruerentur. Et quamquam in hac re nulla antiquitatis testimonia siue ei siue auctoribus eius praesto fuisse puto, tamen satis uerisimile uidetur in patriciorum et plebis contentionibus plebeiorum aliquam partem cum illis conspirasse.

Itaque cum scriptores antiqui clientes patriciorum in publicis rebus suas et proprias partes agentes faciunt, non ita comparata sunt, quae narrant, ut historiae, quae uere appellentur, putari possint. Id tantum constare existimo, eos existimasse, et clientes plebeios fuisse [2]. Et quoniam plebeios uiros ab initio urbis ciuitatis participes fuisse uoluerunt, consentaneum est, nihil eos in clientium condicione uidisse, quod impediret, quominus et hi ciues essent. Sed cum hoc eorum iudicium apud uiros doctos parum fidei consecutum sit, hoc loco in clientium ius, clientelae naturam atque condicionem paulo propius inquiremus.

[1] Paulus p. 335 (Scelerata porta). Gellius N. A. XVII 21. Seru. ad Aen. VI 845. Fest. p. 285 (Religioni) sex et trecenti Fabii commemorantur, clientium nulla fit mentio.

[2] Fuerunt, qui huiusmodi narrationibus ducti clientes initio non ipsi ciuitati militiam praestitisse crederent, sed suo quisque patrono cum oboedientia deuincti essent, illorum i. e. patriciorum in comitatu armatos affuisse, siue illi priuatas inimicitias persequerentur, siue pro re publica arma cepissent. Cfr Becker II 1 p. 129, Lange I 247. Soltau (l. l. p. 639 adn. 2, pp. 640 sqq.) hanc sententiam satis probabilem putat. M. Büdinger, qui de patriciis quattuor edidit dissertationes — Cicero und der Patriciat. Wien 1881; Der patriciat und das Fehderecht. Wien 1886; Catull und der Patriciat. Wien 1890. Die Römischen Spiele und der Patriciat. Wien 1891 — eandem sententiam ultra modum persecutus est. Ea dissertatione, quam secundo loco nominaui, arma capiendi aliquod ius, quod tamen non satis definit, a patriciis usurpatum esse docet (pp. 39 sqq.) Pro eo iure Sulla, Cinna, Lepidus, Catilina, Caesar *dominatione* potiti aut eam petisse dicuntur.

Primum statuere conabimur, quomodo homines in clientium locum uenisse putandum sit. Liceat mihi ita hanc quaestionem aggredi, ut doctorum uirorum nonnullas de hac re sententias afferam. M. Voigt de ortu clientelae ita loquitur [1]: "Der Entstehungsgründe . . . der Clientel sind vier: adplicatio ad patronum und manumissio . . .; dann wiederum Aufnahme des peregrinen Patrones sammt seinen Clienten in den römischen Staat im Falle der Einwanderung; und endlich Vererbung auf Seiten des Clienten wie des Patrones." E. Herzog haec habet [2]: "Klientel ging hervor aus der Applikation hilfsbedürftiger Fremden, aus der Zuteilung von Unterworfenen, solange es sich um wenige solche handelte, aus der Sklaverei durch Begabung des Knechts mit persönlicher Freiheit." Mommsen denique has clientelae causas enumerat [3]: "die Geburt [4], die Dedition, die Application, die Freilassung durch Volksschluss und die Freilas-

[1] Ueber die Clientel und Libertinität. Berichte über die Verh. der Kön. Sächs. Ges. der Wissensch. Phil. Hist. Cl. 1878 pp. 150 sqq.

[2] l. l. I pp. 91 sqq.

[3] SR III pp. 55 sqq.

[4] Hoc ad eos spectat, qui non ex iustis matrimoniis procreati erant. Per se intelligitur, etiam clientium liberos ad eundem statum natos esse.

sung durch Privatakt." Uidemus uiros doctissimos Voigtium, Herzogium, Mommsenum clientela quomodo orta sit, non in omnibus rebus pariter constituere. Sed in una re, quae quidem maximi est momenti, plane consentiunt. Nam hoc quidem commune habent, quod clientelam semper ex eiusmodi condicione ortam existimant, quae hoc uel illo modo libertati et ciuitati contraria esset, ut qui ciuis erat, eum alterius ciuis clientem fieri potuisse negent.

Non negauerim, omnibus iis modis, quos significarunt illi, homines in ciuium romanorum clientelas uenisse. Uerum considerandum est, num etiam omnes modos monstrauerint, quibus clientelae oriri possent. De hac re mihi summopere dubitandum esse uidetur. Cum de clientelae origine et natura quaeritur, cauendum est, ne obliuiscamur, non solum priuatos homines clientes fuisse, sed — ut alia taceam — etiam municipia atque colonias, nec minus socias ciuitates patrocinia uirorum romanorum, nobilitate et potentia praestantium, petisse. Non uideo, cur singulorum tantum hominum patronatus iustos patronatus fuisse existimemus. Sed si intra clientelas priuatorum hominum manemus, omnibus cognitum est, re uera non posse dubitari, quin etiam singuli ciues se persaepe in ciuium suorum patrocinia contulerint. Ut unum exemplum proferam, liceat mihi in legentium memoriam reuocare, quomodo apud Horatium (Ep. II 7) Philippus Vulteium quendam, quem a foro rediens conspexerat et praeconis munus exercere cognouerat, inter clientes suos allexerit. Dicat aliquis, haec recentiora clientelae esse genera et uanas imagines antiquae et originariae clientelae, quae quomodo fuerit instituta, non ex illis esse iudicandum. Qui hoc contenderit, ab eo censeo quaerendum, unde hanc doctrinam hauserit. Ex libris ueterum scriptorum? Quos uidimus iam antiquissimis temporibus humiliores ciues in potentiorum clientelas distributos fecisse. Ne oppidorum quidem patronatus quando orti essent, antiqui homines cognitum habebant. Etiam hos summa aetate esse

putabant [1]. Quod Voigt, Herzog, Mommsen artos illos clientelae fines descripserunt, quos supra significauimus, apparet id ab iis factum esse, quia utique clientelam libertati et ciuitati contrariam constituerant. Eruere conabor, qua uia ad hanc sententiam delati sint, sed ut ea, quae supra de plebis condicione disputaui, non repetam.

Inter eas causas, quibus adducti sunt uiri docti, ut clientibus ciuitatem abiudicarent, non minimi momenti fuisse credo falsam ipsius uocis etymologicam interpretationem. Nam quoniam *cliens* a *cluere* deriuatum existimabant et in illam uulgatam uersionem delati erant, qua clientes allemannice "die Hörige" appellantur, haud mirum, quod ipsum nomen monere putabant, clientes olim ciuitate caruisse. Sed *cliens* et *cluere* non eadem radice orta esse, iam ante multos annos noster Danielsson docuit; nemo nunc Corsseno crediderit, *cliens* e **clu-ie-ns* esse procreatum; neque per Plaut. Men. 575 eorum sententia defendi potest, qui *cliens* a *cluens* ortum existimant; qui proxime Plautum ediderunt, hunc uersum ita exhibent, ut fert codicum scriptura:

res magis quaeritur quam clientum fides quoiusmodi clueat.

Danielsson *cliens* a radice **k,leį* ductum et cum *clino* atque scr. *çrayati* coniungendum docet eumque significare putat, qui ad aliquem patronum se applicat [2]. Si hoc recte statuit, non tamen credo illo uerbo eos potissimum significatos, qui eo iure utebantur, quod proprie ius applicationis appellabatur. Nam nescio an hoc clientelae genus numquam latius patuerit; et si uerbo *cliens* eum sensum tribuimus, quem proposuit Danielsson, ad omnia clientelae genera designanda aptum est. Uox ipsa igitur nullo modo nos hortatur, ut clientes ciues fuisse negemus.

Atque iam ad aliam rem transeamus et consideremus, quae patronorum et clientium iura fuisse apud antiquos scriptores traditum sit. Hoc duobus locis paulo copiosius expo-

[1] Dionysius II 11. Cfr Sebastian: De patronis coloniarum et municipiorum romanorum quaestio epigraphica. Halis Saxonum pp. 5 sq.

[2] Studia grammatica. Upsaliae 1879 p. 46 Adn. 4. Uideo L. Meyerum Bezz. Beitr. V 176 sqq. de uerbo *cliens* idem docuisse.

situm est, a Dionysio II 10 atque a Plutarcho Rom. 13, quorum hic prioris uerba paucis praetermissis afferemus: τοὺς μὲν πατρικίους ἔδει τοῖς ἑαυτῶν πελάταις ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια, ὧν οὐκ εἶχον ἐκεῖνοι τὴν ἐπιστήμην — — —. δίκας τε ὑπὲρ τῶν πελατῶν ἀδικουμένων λαγχάνειν, εἴ τις βλάπτοιτο περὶ τὰ συμβόλαια, καὶ τοῖς ἐγκαλοῦσιν ὑπέχειν· — — — τοὺς δὲ πελάτας ἔδει τοῖς ἑαυτῶν προστάταις θυγατέρας τε συνεκδίδοσθαι γαμουμένας, εἰ σπανίζοιεν οἱ πατέρες χρημάτων, καὶ λύτρα καταβάλλειν πολεμίοις, εἴ τις αὐτῶν ἢ παίδων αἰχμάλωτος γένοιτο· δίκας τε ἁλόντων ἰδίας ἢ ζημίας ὀφλόντων δημοσίας ἀργυρικὸν ἐχούσας τίμημα ἐκ τῶν ἰδίων λύεσθαι χρημάτων — — —. ἔν τε ἀρχαῖς καὶ γεραφορίαις καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς εἰς τὰ κοινὰ δαπάναις τῶν ἀναλωμάτων ὡς τοὺς γένει προσήκοντας μετέχειν. κοινῇ δ'ἀμφοτέροις οὔτε ὅσιον οὔτε θέμις ἦν κατηγορεῖν ἀλλήλων ἐπὶ δίκαις ἢ καταμαρτυρεῖν ἢ ψῆφον ἐναντίαν ἐπιφέρειν ἢ μετὰ τῶν ἐχθρῶν ἐξετάζεσθαι. εἰ δέ τις ἐξελεγχθείη τούτων τι διαπραττόμενος ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος, τὸν δὲ ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός.

Fieri non potest, quin qui haec legerit, statim uideat, inter haec omnia non plus unam rem testimonii loco adhiberi posse, si quis ostendere uelit, clientes non ciues fuisse. Quod scribit Dionysius, patronos clientibus suis ius interpretari oportuisse, non eo magis suspecta fit horum ciuitas. Quod uero dicuntur clientes patronos suos in filiabus collocandis et in litium aestimationibus publicisque multis soluendis adiuuare debuisse itemque ab hostibus redimere, si capti essent, uerba Dionysii neque de publico clientium statu quidquam docent, neque omnino talia officia significant, quae lege constituta fuerint et iudiciis exigi potuerint. De hac re satis certum iudicium habere uidemur, quod ea consuetudo, de qua loquitur Dionysius, non summae erat uetustatis, sed secundi belli punici aetate quam maxime florebat. Nam tum temporis lege Cincia de donis et muneribus prauus ille mos exstinctus est, quo ut ait Liuius (XXXIV 4) "uectigalis iam et stipendiaria plebs esse senatui coeperat". Qua lege constat clientium dona prohibita, non patronis debita

iura sublata esse[1]. Liuii autem uerbis atque Dionysii eandem rem designari, paene certum duco, cum considero, quae Plutarchus scripsit, postquam clientium officia commemorauit: Ὕστερον δέ, τῶν ἄλλων δικαίων μενόντων, τὸ λαμβάνειν χρήματα τοὺς δυνατοὺς παρὰ τῶν ταπεινοτέρων αἰσχρὸν ἐνομίσθη καὶ ἀγεννές. Quod de testimoniis dicendis docet Dionysius hic mittere possumus; neque curo, quae de patronatus et clientelae certis officiis uiolatis praedicat; nam ad eam rem, de qua agimus, nihil pertinent et merae nugae sunt[2]. Sed haec Dionysii uerba impedire uidentur, ne clientes in ciuium numero habeamus: δίκας τε (ἔδει τοὺς πατρικίους) ὑπὲρ τῶν πελατῶν ἀδικουμένων λαγχάνειν, εἴ τις βλάπτοιτο περὶ τὰ συμβόλαια, καὶ τοῖς ἐγκαλοῦσιν ὑπέχειν. Nam si haec recte dixerit, concedendum sit, clientes lege agere non potuisse; sed qui eo iure careret, eum ciuem fuisse, quis contenderit? Atque id ius a uiris doctis nostrorum temporum clientibus uulgo abiudicari, uix est cur moneam.

Sed credo Dionysii auctoritati nimium tribui, si uerbis illis, quae modo attulimus, adducimur, ut clientes in iudiciis suas ipsos res egisse negemus. Nonne suspiciones nostras mouere debet, quod Plutarchus, cum de patronatibus et clientelis institutis loquitur, de illa re nihil tradit? Accedit, quod ea, quae Dionysius narrat, non inter se bene cohaerent. Nam quod dicit, patronos clientibus suis ius inter-

[1] Qui loci antiquorum scriptorum ad hanc legem spectant, collegit Lange II^{3} pp. 190 sq. Inter alia sanctum est, ne quis ob causam orandam pecuniam donumue acciperet (Tac. Ann. XI 5, XIII 42, XV 20).

[2] Absurdum puto, eum, qui patronum suffragio suo non adiuuasset, poenas dedisse. Neque intelligo, quomodo quisquam sibi persuadere possit, capitale fuisse, si cliens patroni, aut patronus clientis nomen detulisset. Testimonium aduersus patronum dicere non cogebatur cliens nec aduersus clientem patronus. Cfr Plut. l. l. et Mar. 5; leg. Acil. 32, 33. Qui nihilo minus testimonium dixit, impie egit, sed eum punitum esse, Dionysio non credendum. In leg. duod. tab. haec erant (Seru. ad Aen. VI 609): *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Quam legem Dionysii uerba interpretata putantur. Cfr Bruns: Fontes iuris romani^{6} p. 4, Adn. 2. Non dubito, quin Dionysius prorsus non intellexerit, quid ea lex iuberet.

pretari solitos esse, quia hi legum notitia non essent imbuti (τὰ δίκαια, ὧν οὐκ εἶχον ἐκεῖνοι τὴν ἐπιστήμην), hoc nihili est, nisi clientes ipsi per se lege agere potuerunt; et hoc ius iis non defuisse, aperte ea ostendunt, quae post sequuntur: κοινῇ δ' ἀμφοτέροις οὔτε ὅσιον οὔτε θέμις ἦν κατηγορεῖν ἀλλήλων ἐπὶ δίκαις, quae nisi liberam lege agendi facultatem utrisque concesserimus, nullum habent sensum. Neque uideo iis, quae aliunde de clientela et patronatu cognouimus, Dionysii uerba confirmari. Non igitur Genzio assentiri possum, qui hoc loco diuersorum temporum confusa iura proferri suspicatur et his uerbis rem explicare conatur[1]: "(es) ergiebt sich aus allem, was wir darüber sonst wissen, dass in der Zeit seiner ursprünglichen Bedeutung dem Patron die Vertretung des Clienten ausschliesslich übertragen war. Denn der *patronus* wird dem *pater* an die Seite gestellt (Gell. V 13), und unter denen, welche unmündig sind und selbständiger Rechtsvertretung entbehren, unter den *pupilli* und *hospites,* werden die *clientes* genannt (Gell. a. a. O.). Auch war der religiöse Schutz, welcher den Clienten sogar noch durch die XII Tafeln gewährt wurde, nicht so nöthig, wenn sie sich selbst den Rechtsschutz verschaffen konnten." In aperto est, quam nihil ualeant illa argumenta. Consideremus id, quod medio loco posuit. Ea Gellii uerba, quorum mentionem facit, haec sunt: *primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere fidei tutelaeque nostrae creditos, secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dediderunt, tum in tertio loco hospites; postea esse cognatos affinesque.* Quid? Etiamne *parentes* atque *cognati* et *affines* non nisi per alienam operam lege agere potuerunt? Non Dionysius diuersorum temporum iura sua commiscuit narratione, sed — ut ego credo — priuatas lites clientium commemorauit, cum de iis publicis causis ei dicendum esset, quae ad iniurias a clientibus suis prohibendas superiorum ordinum uiri suscipiebant. Eiusmodi locis antiquorum scriptorum eum

[1] Das patricische Rom. p. 16.

in errorem inductum puto, qualis est hic Ciceronis[1]: *Clarissimi uiri nostrae ciuitatis temporibus optimis hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani dicionémque essent, iniurias propulsare eorumque fortunas defendere. M. Catonem illum Sapientem, clarissimum uirum et prudentissimum, cum multis graues inimicitias gessisse accepimus propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias. Nuper Cn. Domitium scimus M. Silano diem dixisse propter unius hominis Aegritomari, paterni amici atque hospitis, iniurias.*

Haec omnia cum considero et maxime quot clientelae genera fuerint[2] quaeque officia clientium et patronorum fuisse dicantur, non modo non mancam libertatem inter clientelae notas numerandam censeo, sed ne certum quidem publicum statum eo uerbo significari credo. Neque doctorum uirorum conata prospere cessisse puto, qui in publico clientium statu definiendo operam posuerunt. Primum — ut uidimus — nonnulla clientelae genera uerae clientelae specimina fuisse negandum fuit. Tum fieri non poterat, quin pluribus modis ultra antiquorum scriptorum testimonia uagarentur. Ita in rerum romanarum expositiones intrusi sunt semiciues et semiliberi illi, quorum antiquae litterae ne leuissimum quidem uestigium seruarunt. Et ut nomen semilibertatis apud ueteres homines non in usu fuit, ita quam

[1] In Caec. Diu. §§ 66 sq.

[2] Clientium uaria fuisse genera non effugit Soltauium. L. l. p. 637 haec habet: "Indem Marquardt (SV VII 199) zugiebt, dass die Libertinen *eine Art der Clienten* gewesen seien, weist er auf den richtigen Satz hin, dass Clientel später ein umfassender Ausdruck gewesen sei, welcher rechtlich verschieden stehende Arten der römischen Bevölkerung umfasst habe." Sed existimat, clientes initio certum publicum statum neque eum prosperum habuisse; p. 639 adn. 2 haec Broeckeri uerba impugnat: "Es findet sich im ganzen Umfange der uns bekannten antiken Litteratur über Altrom nirgends auch nur die leiseste Spur davon, dass irgend wer im Alterthum jemals der Clientel einen anderen Charakter beigelebt habe als den eines rein privatrechtlichen Instituts." Contra Broeckerum eos Dionysii locos affert, quos supra tractauimus.

rem significet, non facile intelligitur. Audiamus, quomodo Mommsen semiliberorum statum definiat (SR III p. 54): "Halbfreiheit ist derjenige Zustand, in welchem negativ der Mangel des Bürgerrechts, positiv die Zugehörigheit zu der römischen Gemeinde zusammentreffen." Quibus uerbis mihi uidetur seruitutem non minus quam libertatis aliquem gradum significasse. Mihi quidem hoc Herzogii de clientela et patronatu iudicium magnopere placet: "Das Verhältniss ist ein Treuverhältniss." Ac nescio an nemo dubitet, quin id recte statuerit. Sed quomodo clientela, cuius ipsum principium in fide utriusque partis posita fuerit, eadem certa iuris publici species esse potuerit, quod totum in legibus est iisque iussis, quae legis uim habeant, non satis perspicio. Quo fit, ut ad illud redeundum sit, quod iam dixi, nullum publici status genus clientelae nomine designari.

Quid de uariis clientelae generibus statuendum sit, quibus finibus fuerint circumscripta, quo tempore ordineque orta sint, quas mutationes subierint, non hoc loco opus est examinare. Proposito meo satisfeci, si ostendi, nihil de clientium rebus cognitum esse, quod impediat, ne patriciorum et plebis ciuitatem eiusdem antiquitatis fuisse putemus.

Conatus sum demonstrare, populi romani quaedam instituta et iura, quibus uiri docti multum tribuere consuerunt, cum esset probandum, plebeiam ciuitatem posterioris temporis fuisse, ad eam rem argumentis confirmandam non posse adhiberi. Ut igitur ei de patriciae nobilitatis origine sententiae, cuius auctores fuerunt annalium scriptores, si recte se habent, quae supra exposui, praeter antiquitatis consensum ipsa patriciae appellationis ratio fidem facit, ita nihil inueni, quod contra eam recte sit disputatum. Neque uero me fugit, tum demum antiquorum scriptorum sententiam supra omnes dubitationes positam futuram, cum in iure publico romano ex omni parte tractando et in liberae rei publicae historia scribenda examinata erit. Hoc modo non mihi licet experiri, num de quaestione nostra recte iudicauerim. At haec res non me supra modum sollicitum habet. Nam cum iuris romani et historiae romanae singulas partes cogitatione complecti conor, magis magisque mihi persuadeo, nihil illis inesse, quod opinioni nostrae molestum sit. Nihilo minus hoc loco de una re pauca dicere liceat, quae cum patriciae dignitatis uim et naturam inuestigamus, non prorsus sit negligenda.

Scimus post regum aetatem patriciorum numerum *clausum* fuisse, ut dicunt, neque — Claudia una gente excepta — nouos patricios factos esse usque ad Caesaris tempora. Hoc quomodo acciderit, facile declaratur, si Niebuhrium secuti patricios archicines fuisse statuerimus. Nam cum noui cines accessissent, quorum in re publica minor esset potentia, consentaneum erat, ex ueteribus ciuibus nobilitatem quandam gigni; cuius cum ratio et principium in ciuitatis antiquitate posita essent, fieri uix poterat, ut alienis incrementis augeretur. Sin eam sequimur sententiam, quam defendit Rubino, nonne tum quoque extricare possumus, quomodo euenerit, ut in patriciorum numerum noui homines non admitterentur? Ut ego sentio, nihilo obscurior erit res, si *patres,* i. e. senatores patricios, patriciae nobilitatis fontem fuisse posuerimus. Nam regibus exactis nemo nisi cooptatione patrum in illud amplissimum concilium peruenire poterat; et licet concedamus, ad patriciorum numerum augendum hanc uiam usurpari potuisse, tamen — ut solent optimatium factiones auide potentiam et nobilitatem suam custodire — non miramur, quod ad patriciam dignitatem mature aditus sit interclusus. At patricius honor cum magna potestate erat coniunctus; quid ergo causae fuisse existimabimus, cur non illum plebs libertatis suae propugnatoribus parare conaretur? Quod talis agendi modus ad paucorum potestatem frangendam parum erat idoneus. Praestabat patrum potentiam imminui, ueram imperii possessionem ab illis ad magistratus transferri, populi plebisque potestatem augeri. Atque de hac quidem re iam satis dictum esto.

Hic opusculo meo finem impono. Omnia mihi persuadent, patricias gentes in illo *patrum* coetu fontem suam

habuisse, qui liberae rei publicae temporibus cum senatu in unum corpus coniungebatur. Sed ad illorum patrum plenam cognitionem non perueni. Quoniam senatus una pars erant, satis probabiliter concluserunt antiqui scriptores, patrum consilium ab initio senatus aliquod genus fuisse. Sed patrum munera multo ampliora erant quam ceterorum senatorum; et suspicatus sum, illos regibus exactis pro regii imperii heredibus se gessisse. Iam regum aetate eorum institutum esse consilium, ut non sine causa regii senatus uice functum esse ab historiarum scriptoribus putetur, nescio an interregum et interregnorum nomina doceant. Has res non nisi leuiter perstringere potui. Sed spero opusculum meum aliqantulum ad eorum sententiam refutandam contribuisse, qui patres et patricios olim solos ciuitate romana usos esse contendunt.

Corrigenda.

Pag.	27	u.	13	ab imo	scriptum est:	Suetonius;	legendum:	Suetonii
„	30	„	18	„ „	„	„ ille;	„	illi
„	36	adn.			„	„ Hisiorische;	„	Historische
„	42	u.	3	a summo	„	„ Ausdrück;	„	Ausdruck
„	42	„	4	„ „	„	„ Altesten;	„	Ältesten
„	49	„	19	„ „	„	„ nihil;	„	quidquam
„	54	„	13	„ „	„	„ patricios;	„	senatores
„	64	„	18	ab imo	„	„ explicaurat;	„	explicauerat
„	72	„	10	a summo	„	„ quin, nullas;	„	quin nullas
„	91	„	12	„ „	„	„ "die Hörige";	„	"die Hörigen"
„	92	„	3	ab imo	„	„ nectigalis;	„	uectigalis
„	93	„	10	„ „	„	„ adiuuasset;	„	adiuuisset
„	94	„	4	„ „	„	„ quae;	„	quas
„	95	„	3	„ „	„	„ beigelebt;	„	beigelegt
„	98	„	3	„ „	„	„ aliqantulum;	„	aliquantulum